VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 F
1

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

B
136

12
15
2
27

69.7.16
69
2
31

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GVALTERI CHARLTONI

Exercitationes Pathologicæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES PATHOLOGICÆ,

in quibus
Morborum penè omnium
Natura, *Generatio*, & *Cauſſæ*,
ex
Novis *Anatomicorum* inventis
ſedulò inquiruntur.

à GUALTERO CHARLTONO, M. D.
Caroli I. olim, hodie *Caroli* II. Magnæ *Britanniæ*
Monarcharum inclytiſſimorum Medico Ordinario.

---

*Etiamſi omnia à veteribus inventa ſunt: hoc ſemper novum erit,
Vſus, & inventorum ab aliis ſcientia & diſpoſitio.*

Senec. Epiſt. 64.



LONDINI,
Typis *THO. NEWCOMB*, Proſtant autem
venales apud *Joh. Martin*, *Jac. Alleſtry*, &
Tho. Dicas, ad inſigne Campanæ
in Cœmiterio D. *Pauli*.
CIϽ IϽC LXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Sereniſſimo & Potentiſſimo

PRINCIPI,

CAROLO II.

Britanniarum Monarchæ inclyto,

Domino ſuo Clementiſſimo,

GUALTER CHARLTON

Imperii paciſq; æternitatem precatur.

SOC. IESV. B

ERat olim tempus, REX AUGUSTISSIME, idq; nec Scientiarum ruditate quidem, nec barbarie Morum infame, Litteris verùm & Humanitate florentiſsimum; quo *Medicina* (una ex omnibus

Artibus Deorum munere & indulgentia ſingulari Hominibus conceſſa) tantæ dignitatis habebatur, ut non abjectæ ſortis homines, ſed præſtantiſsimi & ſummi quiq; Viri eam ardenter excolerent: Principes videlicet, Reges, Monarchæ, & Deorum Filii vulgo exiſtimati; & qui tales non cenſebantur, vel hoc ipſo divinos ſibi conſequebantur honores, ac ſi Mortalium reliquorum conditionem longiſsimo intervallo ſuperaſſent. Nec prorſus immeritò ſane; *Eam* enim, Liberales inter Artes, origine antiquiſsimam, Inventorum ſuorum ſplendore ornatiſsimam, Cultorum gloria illuſtriſsimam, Imperatorum Regumq; ornamentis clariſsimam, Methodi accuratione & certitudine

De-

Demonſtrationum admirabiliſsimam, mortalibus deniq; cunctis non ſolùm maximè neceſſariam, verùm etiam utiliſsimam eſſe; nemo, opinor, niſi politioris diſciplinæ prorſum expers, unquam inficiabitur. Hinc Doctrina hæc, prælonga annorum ſerie, in familiis Regum conſervata fuit, & propagata. Hinc in Deorum numerum retulit Antiquitas non illos modò, qui ipſam primi invenerunt; verùm omnes etiam alios, quicunq; præclaro invento aliquo eandem auxiſſent, melioremq; reddidiſſent. Hincq; *Alexander Magnus* (ut de *Oſiride*, *Oro*, hoc eſt *Apolline*, *Serapi*, *Ægypti* Regibus; de *Zoroaſtro*, Magia ſceptroq; Bactrianorum percelebri, inter

vetuſtiſ-

vetuſtiſsimos: deq; *Mithridate*, *Gentio*, *Lyſimacho*, inter poſt natos, nunc ſileam) â *Plutarcho* fertur, adeo Medicinæ ſtudiis ſedulò animum, ſuaſore *Ariſtotele*, adjeciſſe, in eaq; tantopere profeciſſe; ut Procerum ſuorum nonnullis pharmaca feliciter propinaverit.

Deinde, hodie etiam Reges, maximè *Tui* ſimiles (ſaltem ſi qui tales ſint) gloriæ haud minus Sibi è ſtudio Sapientiæ (quam â Medicinæ cultu primus ſejunxit *Hippocrates*, ab *Æſculapio* Magno utrinq; oriundus) quàm â præfulgido Diadematum ſuorum ſplendore, accedere poſſe, facillime concedent: Nec erga ſacram

Horum

Horum Majeſtatem debitæ reverentiæ quicquam detraxerit is, qui Ipſos Rerumpublicarum *Archiatros*, haud multùm indecenti Metaphora, nuncupaverit. *Hi* ſiquidem omnes imperii legumq; nervos in hoc præcipuè tenent & intendunt, ut Civium, *Malorum* quidem audaciæ, inſaniæ, libidini, licentiæ, ſacrorum violationibus, in ſociorum jura uſurpationibus, conſpirationibus in capita ſuperiorum, aliiſq; conſimilis perniciei vitiis atq; ſceleribus, unde de optimo ſanitatis ſtatu dejici poſsit *Corpus Politicum*, fræna injiciendo: *Bonorum* verò virtutibus contrariis benignè favendo; publicæ Societatis pacem ſartam tectam tueantur & conſervent. Eſtq; pro-

fectò tam genuina, tamq; conſpicua *Medicos* inter atq; *Politicos* Aphoriſmos analogia; ut *Horum* uſus ac rationes non aliunde quàm ex *Illorum* principiis phyſicis, & experientiis primitùs deductæ videantur. Adeo ut eo minus in Sacratam Majeſtatem Tuam, Nobilissime Regum, peccaſſe videar; dum *Exercitationes* has meas, in Artis Apollineæ augmentum & illuſtrationem (penè dixiſſem & reformationem) conſcriptas, juriſq; publici factas, Augustissimo Tuo Nomini, devotione confiteor ambitioſâ, ea tamen qua decet animi ſubmiſsione, conſecrare auſus ſum: id ſcilicet perſpiciens, in graviſsimis Te Regni occupationibus leviora non aſpernari.

Quippe,

Quippe, in rerum univerſitate nil tam *ſublime* eſt, quod â vaſtiſsimo *Tuo Intellectu* non comprehendatur: Tam *Humile* nil, ut *Curioſitatem* Tuam effugiat.

At verò, non fuit Argumenti, quod in hoc Opere teritur, dignitas; quæ ipſum, ut ſe Conſpectui *Tuo* fulgentiſsimo ſiſteret, ſola animavit: habet equidem & alia, eaq; longe nobiliora, quibus hanc ambitionem ſuam innocentiùs debeat; Eximias ſcilicet, & ad Divinitatis uſq; exemplar generoſè adſpirantes TUAS VIRTUTES, quibus Deos inter Mortales, nedum Homines, in tantum emines, ut TE omnes mirificè colant, admirentur, venerentur. Nempe

REX es, eo *Parente* genitus,

Digitized by Google

Qui, vel hoſtium confeſsione, ætatis ſuæ ſummùs, ſapientiſsimus, pientiſsimùs, chriſtianiſsimus Princeps æternum audire meretur. *Cujus* verè heroico pectori tam candidam Animam infuderat Summum Numen, ut, non ſæculi malitiâ; non hominum moribus æſtimatis, ita cæterorum fidei credidit, ut *Sibi* credi par eſſe ex virtute ſentiebat; nec aliter capi unquàm potuit, quàm nimia Sua *Bonitate*. Verbo dicam, *Qui* innocentèr vixit, juſtè regnavit, ſanctè finivit: glôrioſiſſimo Martyrio, â proditoribus nefariis, & pluſquam Moloſsicæ feritatis regicidis immanitèr irrogato, cœlis tandem redditus. Tali ſcilicet â Patre ingenerari debuit TIBI virtus, & ad gloriæ ſucceſsionem

cupi-

cupiditas inſeri. Deinde, boni clementiſq; Principis defuncti memoria, Filio ſucceſſori æternam apud Poteſtates quaſlibet fidem atq; benevolentiam conciliat roboratque.

Rex es equidem *Mitiſsimæ* indolis, & ſumma natus *Humanitate*. Unde jam effectum eſt, ut Tibi etſi vel minimùm offendi, quàm delictis ignoſcere difficilius ſit: efficieturq; (ſperandum eſt) deinceps, ut Exemplo Tuo terris oſtendas, quanto melius clementia & beneficiis imperium cuſtodiatur, quàm armis. Potentiam *Tuam* placidè moderaris, tantaq; exerces animi *Lenitate*; ut, quanquam alia magis, alia minus tueri neceſſum ſit, nullam non Reip.

partem

Digitized by Google

partem tamen ſalutariter, & tanquam *Tui* fovere ac nutrire videaris. Ideoque, non gentilitio more abrepti, non adulatione vana adducti; ſed Paternam, omnibuſque, ceu Liberis, ex æquo conſulentem *Tuam Benevolentiam* ritè agnoſcentes, tituloq; colentes ſumme convenienti, TE *Patrem Patriæ* appellamus. Legibus quidem *Tuis*, & fidelitatis Sacramento arctè vincimur nos ſubditi omnes: at demiſſa *Celſitudine Tua*, acceſſùq; perfacili *Majeſtate* arctius adhuc ſe devinctos ſentiunt atq; fatentur, quî aliàs ſunt Liberrimi. Hinc ſub ſuaviſſimo *Sceptri Tui* dominio degere exoptant vel iſti, quibus Majorum claritudine in Gentes proprias imperitandi jus eſt: Legatique,

gatique, â Te ſemel in gratiæ amplexus excepti, non niſi invitiſſimè ad Dominos ſuos redeunt; hîc, ſi non præſidii, at ſolatii tamen plus ſibi ſperantes, quàm in patria. Non tam expectas æqua *Tuorum* vota, quàm prævenis: quoſque, ſeu Exteri ſint, ſeu è numero Civium, ad *Magnificentiam Tuam* inviſendum invitat Fama, perbenigne admittit *Comitas*, nec triſtes unquam dimittit, niſi hoc nomine, *quia eſt diſcedendum.*

Inſtar veris enim, Vultus ubi Tuus
Affulſit, populo gratior it dies,
Et ſoles melius nitent:

Nec alio animo Rectorem ſuum intuetur populus, quàm ſi *Dii* immortales poteſtatem viſendi ſui facerent.

Rex

Rex es, Quem ea *Ingenii* perſpicacia Optimum Numen finxit; ac (quod feliciſsimum in Rege eſt) iis ſævientis fortunæ caſibus, exilio nimirum, labore, curis, periculis, â pueritia uſq; erudiit exercuitque: ut poſthac infortunii nil, aut *Prudentiæ Tuæ* impervium, aut *Fortitudini* nimium, ingruere poſſe, læto omine vaticinari fas ſit.

Rex es tam *Miti Magnoq;* ſimul animo præditus, ut Severitatem abditam, *Clementiam* in procinctu habeas; nec niſi perrarò punias, rigidè nunquam. *Tua* quidem cauſſa neminem puniſti; ſed

Obvia proſternas, proſtrataque, more Leonum,
Deſpicis:

Aliena autem perpaucos, eoſq; con-

contumaciæ prorſus deploratæ Maſtigias, & quos ad innocentiam unquam reverſuros nulla ſpes affulſerat. Neq; vel hos puniſſes, niſi (ad inſtar legis) ut pæna paucorum exemplo ad plures tranſiret; aut ut è medio ſublatis malis, ſecuriores cæteri viverent. Quippe *Fortuna Tua* ſublimior eſt, quàm ut Ultionis ſolatio indigeas; generoſiorq; *Animus*, quàm ut eodem delectêris: minimè inſcius nempe, quòd nullum ornamentum Principis faſtigio dignius ſit pulchriuſque, quàm *Civica* illa *Corona*, cum hac Epigraphe, OB CIVES SERVATOS.

REX es, Qui inveteratis & alioquin inſanabilibus *Britanniæ* malis, præſentia *Tua* opem con-

tuliſti præſentaneam: *Joviſq;* inſtar Σωτῆρος, momento compoſuiſti patriam diſcordiis civilibus penè everſam. Nondum integrè elapſi ſunt menſes novem, quum oculis obverſaretur triſtiſsima facies Reip. quum omnia mœſta eſſent, turbida & confuſa; quumq; miſeriarum noſtrarum complemento nihil deeſſe quereremur, præter omnimodam *Gentis* univerſæ deletionem: at hodie tamen, verſo *Regnorum Tuorum* ſtatu, omnia non modò conſtituta ſunt in pacato, aſt proſperitate inſuper rident, legeſq; tam piè ſanctèq; obſervantur, ut placidiſsima omnes frui pace videamur, nec quicquam nobis ad ſummam libertatem deſit, niſi *pereundi licentia.*

Jam fides, & pax, & honor, pudorq;
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet; apparetq; beata pleno
Copia cornu.

Sub *Tua* rerum adminiſtratione nunc viget *Securitas* alta, affluens; viget *Ius*, ſupra omnem injuriam poſitum; vigent *Litterarum* ſtudia, & ſtudiorum honores: omnibuſque nunc *Civibus Tuis* duplex hæc exprimitur confeſsio; eſſe *Felices* nimirum, & nihil jam his accedere bonis poſſe, niſi ut *perpetua ſint.* Magna hæc quidem, REX ILLUSTRISSIME, geſta: ſed hæc magna majoribus factis deles. Nam,

REX es, Cujus pientiſsimum animum *Religionis* cura, deq; puritate cultus divini ſollicitudo præ omnibus tangit. Ad hoc vivis,

 ad

ad hoc regnas, ad hoc vigilas, ad hoc lucubras. Hincq; factum eſt, quòd paterno avitoq; ſolio licet non ita pridem redditus; patriæ tamen Deum, Deo templa, templis ſacra, ſacris Præſules, Præſulibus dignitates cum ſecuritate jam reddidiſti: nobiliſsimo utiq; Zelo, Prudentia admirabili, felicitate non ſolum poſteris, verùm nobis etiam metipſis, qui ea beamur, fermè incredibili. Quinimmo, quod altiori adhuc admiratione celebrari debet; menſes intra paucos, quà manſuetis conſiliis, quà Regio *Tuo* exemplo, ad ſaniorem, fideiq; Orthodoxæ jam nunc propè conſonam mentem miraculoſè, revocaſti complures vel è *Fanaticis:* qui Αὐτοκέφαλοι, & ſuperſtitionis veſanæ furiis agitati,

tati, ſic Deorum Principumq; arbitros agunt, ut quid utriſq; debeant, non ex Sacroſanctæ Eccleſiæ præceptis, non ex patrio ritu, ſed ſuis ſolummodo ex inſomniis metiri ac ſtatuere ſoleant.

REX es denique, in *Quo* ſic contemplantur omnes *Clementiæ Iuſtitiam*, *Pietatem Fortitudini*, *Modeſtiam Magnanimitati* admirabili hymenæo conjunctas: ut nemo quod TE imitari velit Exemplar, extra TE quærat.

Hæc demum, ILLUSTISSIME REGUM, præcipua ſunt ex incitamentis illis, quæ animum mihi addebant, ut Opuſculum hoc, qualecunq; ſit, ad Sacratiſsimæ *Majeſtatis Tuæ* pedes humillimè provolverem: ceu æternum devotiſſimi

ſimi cultus, & duraturi obſequii monimentum. Patere itaque, Rex Clementissime, innocentem hunc ardentis Zeli effectum, quem Regiarum Excellentiarum in Te enitentium admiratio & amor in pectore meo incendêrunt. Patere, inquam, ut Libellus hic *Regiis Tuis* tholis affigatur ab ſuo Authore; cui in votis nil ſolennius eſt, quam ut *Deus* ter *Opt. Max.* Regum *Rex* ſummus, Tibi Regi ſemper *Auguſto, Magnæ Britanniæ Tuæ* imperium, quod hodie auſpiciis unicè *Tuis* priſtinam in gloriam ac felicitatem denuò reviviſcens, floret vigetque, perpetuò ſoſpitet; ut *Nominis Tui* memoriam rerum gerendarum claritudine conſecret immortalitati; utq; Regnum hoc

Tuum

Digitized by Google

Tuum Terreſtre non antea TE relinquere ſinat, quàm in *Cœleſte* ſuum tranſtulerit. Vive uſq; *Britanniarum* Soſpitator, Fidei verè Apoſtolicæ Columen, *Europæ* ſpes, Principum Exemplar, totiuſque generis humani Amor & Delicium.

Londini, ipſis Saturnalibus,
Anno Æræ Chriſti nati
M.DC. LX.

INDEX

INDEX

Exercitationum, quæ in hoc opere continentur.

EXERCITATIO.

I. SAnitas, *quid ſit, & in quibus eſſentialiter conſiſtat.* Pag. 1.

II. *De* Morbi *natura, ejuſq;* Generibus *Summis.* P. 22.

III. *De* Differentiis *Morborum* Accidentariis, *atq;* Communibus; *undeq; ſpeciatim deriventur.* P. 31.

IV. *De variis* Cauſſarum *Morbificarum* Differentiis. P. 45.

V. *Quomodo ambiens* Aer *Sanitatem noſtram obterat, Morboſq; inferat varios.* P, 54.

VI. *Qua ratione, quotq; modis* Cibus *&* Potus *Morborum fiant Materia, ac velut Sementis.* P. 60.

VII. *Quæ mala à* Motu *&* Quiete; *quæ item à* Somno *&* Vigiliis *modum ſupergreſſis.* P. 77.

VIII. *De* Animi Pathematis, *& quomodo Morborum Cauſſæ fiant.* P. 82.

IX. *De variis* Excretorum *ac* Retentorum *vitiis, unde ſuccreſcant Morbi.* P. 117.

X. *Morborum tum* Similarium, *tum* Organicorum *Cauſſæ, quot qualeſq; ſint; & quo ritu ſingulæ corporis œconomiam pervertant.* P. 156.

Ex-

Digitized by Google

EXERCITATIO I.

Sanitas, quid ſit, & in quibus eſſentialiter conſiſtat.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Cur de* Morbi *natura rectè inquiſituro, ab eſſentia* Sanitatis *exordiendum.* 2 *Quid intelligendum per* Sanitatem. 3 *Dividitur partium corporis Eucraſia in* Eſſentialem, *&* Accidentariam. 4 *Subdividitur* Accidentaria *in* Naturalem, Vitalem, *&* Animalem. 5 *Quid ſit Eucraſia Accidentaria* Naturalis. 6 *Quid* Temperamentum: 7 *Et* Qualitates *partium* Communes. 8 *Conſtitutio* Vitalis *in* Originalem *dirimitur, &* Participatam. 9 *Originalis* ſubjectum *ſtatuitur eſſe* Spiritus Vitales. 10 *Quænam requirantur ad ejuſdem perfectionem.* 11 *Vitalis* Participatæ *conditiones.* 12 *De Unione ſpirituum vitalium cum partibus ſolidis.* 13 *De Caloris vitalis Excitatione in iiſdem ab illis unione.* 14 *Deque Facultatum Naturalium in partibus ſolidis, ex influxu vitali, Invigoratione ac Exaltatione.* 15 *Explicatur conſtitutio* Animalis, *per hypotheſin duplicem.* 16 *Ad ejus integritatem requiri Spirituum Animalium influxum perennem.* 17 *Quænam ſit* Connexio *inter tres deſcriptas conſtitutiones.* 18 *Et quibus in partibus reperiantur* Conſociatæ. 19 *Duo* Alterationum *genera, quæ partibus ex duplici ſpirituum influxu obveniant, Conſtitutiones eſſe* Medicas, *in quibus ut* Sanitas, *ita pariter &* Morbus *radicatur.*

1. CONtrariorum hæc eſt natura & conditio, ut ſub ejuſdem rationis communitate mutuò comprehenſa, ritèque inter ſe comparata, alterum in alterius illuſtrationem reciproce, velutique collatis viribus faciant: Idque potiſſimum contingit, ubi ambo in uno eodemque radicantur ſubjecto, & ubi eſſentia unius ſolummodo in alterius corruptela ſeu depravatione fundatur. Hujus rei *Exemplum* habemus eximium in duobus illis humani corporis *Affectibus* contrariis,

 trariis,

trariis, *Sanitate* nimirum & *Morbo*; quorum Alter *Naturalis* eſt, *Præter naturam* Alter: quorumque poſterior, quàm prioris depravatio quædam & *Anormia*, qua ſubjectum, cui inhæret uterque, indies prolabitur in deterius, nil aliud eſſe videatur. Quamobrem, quo quid *Morbus* ſit, & in quibus integra conſiſtat ejus Eſſentia, clarius intelligamus; æquum ſane eſt, imo vero plane neceſſarium, ut Sanitatis naturam, undeq; eſſentialiter dependeat, prius inveſtigemus. *Rectum* ſiquidem *norma eſt obliqui*, in cunctis; & ubi nobis de naturali perfectòve alicujus rei ſtatu plane conſtiterit, omniaq; quotquot ad ejus integritatem ac perfectionem ſint requiſita, habuerimus ſemel perſpecta: ſi quando contigerit, ut eadem ab illo ſtatu aliquo modo deficiat; ad eorum, in quibus iſtiuſmodi conſiſtit defectus, cognitionem claram, per leges contrarietatis, facillime quidem rectèq; manuducemur.

2. Per *Sanitatem*, igitur, intelligunt unanimiter omnes eum Corporis Humani ſtatum, qui plane Naturalis eſt; ratione cujus Homo aptus eſt ad actiones omnes, quæ humanæ naturæ in integritate ſua conſtitutæ conveniunt, accurate perficiendas; quiq; ab Eucraſia, ſeu debita ſingularum Corporis partium tum conſtitutione, tum ſymmetria, neceſſario dependet.

3. Hæcce autem corporis, partiumq; ejus omnium Conſtitutio Naturalis, duplex eſt, *Eſſentialis* nimirum, & *Accidentalis*; ſive *Propria*, & *Participata*.

Digitized by Google

cipata. *Prior* ad ipſum corporis, & uniuſcujuſq; ejus partis τὸ *Eſſe* ſimpliciter ſpectat; ut omnino immobilis ſit, ſive immutabilis, nec à primo vitæ exordio ad terminum ejus uſque extremum tolli poſſit, ſine ſubjecti interitu. *Poſterior* autem reſpicit corporis tantum τὸ *Bene eſſe*; ut, reſpectu totius, variarum capax ſit mutationum, tollique poſſit, citra totius interitum. Dicimus, reſpectu *Totius*; poteſt enim & hæc ipſa conſtitutio Accidentalis eſſe Eſſentialis, reſpectu alicujus partis. Abſciſſo ex. gr. digito, perit quidem digiti conſtitutio eſſentialis; remanet vero interim reliqui corporis. Et hæc utiq; ea eſt corporis conſtitutio, in qua, ut Sanitatis, ita pariter & Morbi eſſentia radicatur: Nequaquam verò Altera; uti vel exinde ſit manifeſtum, quod ſi Morbus fundaretur in conſtitutione Eſſentiali, quæ conſiſtit in indiviſibili; tum ex quovis Morbo vel leviſſimo neceſſariò conſequeretur Mors, contra quàm quotidie cernimus contingere. Verum de hac re expreſſius, fuſiuſq; in ſequentibus.

4. Interim loci hujus potiſſimum intereſt, animadvertamus, Conſtitutionem hanc corporis Mobilem, ſive Accidentariam, haud immeritò dividi poſſe in *Naturalem, Vitalem,* & *Animalem.*

Naturalis, *eſt propria nativaque uniuſcujuſque partis diſpoſitio, ei competens abſolutè, & ſine omni ab aliis partibus dependentia, quoad ſuum* eſſe *ſimpliciter.* Hæc nedum in jam moribundis, aſt poſt omnimodam quoq; Biolychnii extinctionem ſupereſt aliquandiu; nec facile quidem diſperdi-

tur, donec univerſi corporis compages, per putredinis, ignis, aliarumq; cauſſarum violentiorum tyrannidem, fuerit diſſoluta. Pro *Accidentali* tamen jure meritoq; poſſit haberi. Nam, licet inſita ſit, ſi reſpiciamus ad Eſſentiam; ideoque,niſi poſt fata, deſtrui minime queat ex integro: Quoad ſuum tamen tum *Conſervari*, tum *Operari*, adeo â Cordis ac Cerebri influẽtiis neceſſariò dependet, ut ignava prorſus, ſui muneris oblita, velutiq; emortua jaceat, niſi ab iiſdem foveatur continuò, ac exaltetur. Uti ex eo luculenter patet, quod ſingulæ corporis partes actiones ſuas naturales modò perfectiori, modò imperfectiori modo exequi aſſolent, prout liberalius parciuſvè irradiantur eis influxibus, qui partim â Corde, partimq; â Cerebro ad eas perenni fluore dimanant: In Lipothymia quinetiam, Syncope, aliiſque id genus affectibus cardiacis, ubi eclipſin pro tempore patitur Actinoboliſmus vitalitatis; mox elanguent eædem, atque torpeſcunt, veluti genio ſuo ſpoliatæ. Idq; de neceſſitate profecto inevitabili; cum ſpiritus vitalis, unà cum ſanguine â Corde per Arterias in univerſum corpus perpetuo diffuſus, membrorum omnium ſit quaſi ſal & condimentum; quo & â putredine vindicantur, & in actionibus ſuis ritè obeundis adjuvantur quamplurimum, ac vigorantur.

5. At vero, ut Conſtitutionis hujus naturam penitius paulo introſpiciamus, advertendum porro eſt, eam haud incongrue deſcribi poſſe, quod ſit *Modus quidam eſſendi naturalis, partibus corporis inſitus,*

Digitized by Google

ſitus, iiſq; competens, quatenus ſuis temperamentis, & qualitatibus communibus, ſua ſufficienti portione, ac diſpoſitione convenienti ſpirituum inſitorum, & ſua deniq; juſta conformatione continuitateq; prædita, ad actiones naturales (concurrentibus una tum vitali, tum Animali influxibus) debito modo edendas, apte conſtituuntur.

6. Per *Temperamentum* partis, heic intelligimus eam Sanitatis partem, quæ in Qualitatum convenienti conſtitutione conſiſtit: Et per *Qualitates* communes, eas partium ſenſibilium conditiones varias, quæ ex varia inſenſibilium particularum illas conſtituentium modificatione, ſive diſpoſitione atq; contextu emergentes, ſunt in cauſſa, ut eædem denominentur Quales, reſpective ad ſenſum Hominis. Ex iis autem, quæ in temperie partium corporis humani præcipue conſiderantur, ſunt *Craſsities, Tenuitas; Denſitas, Raritas; Conſiſtentia, ~~Fluiditas, Tenacitas, Friabilitas~~; Tenſitas, Laxitas; Rigiditas, Flacciditas; Durities, Mollities; Lævor, Aſperitas.* Quæ ideo vocantur *Communes*, quia nulli ex quatuor Elementis ſuppoſitis proprie adſtringuntur & inſeparabiliter; uti nec ulli Concretionum primarum ex materia Univerſali formæ; ſed quodammodo expatiantur per corpora omnia, eaq; plus minuſve afficiunt.

7. Verum, ut res paullo ſpecialius dicatur, ſciendum eſt in genere, omnes rerum Concretarum Qualitates, ex varia particularum inſenſibilium, ex quibus illæ conſtituuntur, tum configuratione, tum inter

Digitized by Google

inter ſe complexione, neceſſario oriri; quemadmodum â nobis in *Phyſiologia noſtra*, ad *Epicuri* mentem accommodata, fuſe declaratum eſt. Quoad jam dictas autem Qualitates in ſpecie;

Craſſa corporis pars ea eſt, quæ ex craſſioribus, i. e. majoris magnitudinis particulis inſenſibilibus componitur: *Tenuis* vero, quæ ex tenuioribus. Ita Oculorum tunica Amphibleſtroides, ſive Retina, dicitur oſſibus tenuior, eo quod particulis conſtet minutioribus, & diverſo modo complexis.

Denſa eſt, cujus particulæ, ex quibus contexitur, ita ad invicem coarctantur, ut inter ſe perpauca intercipiant ſpatiola inania: *Rara*, inter cujus particulas multum ſpatii intercedit. Sic oſſa dicuntur carnibus denſiora, quoniam particulas ſuas habent in locum redactas anguſtiorem.

Conſiſtens, quæ conflatur ex invicem cohærentibus particulis: *Fluida* vero, cujus particulæ & ſpatiola inania habent intercepta, & diſſociatæ mutuo ſic ſunt, ut facile ſint emobiles inter ſe, ob ſpatiolorum non-reſiſtentiam. Quo ſenſu, Sanguis aliiq; corporis ſucci ſunt partibus ſolidis minus conſiſtentes, quia eorum particulæ ſunt magis â ſe mutuo ſeparatæ, ſive disjunctæ, atq; inanitatis plus intercipiunt.

Tenax, quæ ex hamatis, & quaſi ramoſis, iiſq; ſeſe preſſius contingentibus, particulis contexitur: *Friabilis* contra, cujus particulæ componentes, & mole craſſiores ſunt, & in exiguis tantum punctis ſe mutuo contingunt; quo fit, ut leviori motu ab invicem diſſociatæ, in varias partes diſſiliant, facileq; frangantur. Hoc modo Tendines & Ligamenta

oſſibus

Digitized by Google

oſſibus perhibentur minus fragilia, quia ſuas habent particulas tum mole minutiores, tum connexione arctiori magis firmiter cohærentes.

Tenſilis, quæ inſigniter protendi ferat, ſervatâ interim tenacitate ſuæ ſubſtantiæ. Ubi notandum occurrit, quod *Tonus* partium proprie conſiſtit in debito tenore, ſive mediocritate inter denſitatem & raritatem, duritiem & mollitiem, &c. ideoque diſſolvi nequit citra inſignem violentiam. *Laxa*, cujus particulæ laxiori modo cohærent. Qua ratione Nervus dicitur tenſilior parenchymate Lienis; quòd continuitas ejus inter tendendum difficilius multò diſrumpitur.

Rigida, cujus contextura adeo dura eſt & compacta, ut nec flecti facile poſſit, nec diſrumpi: *Flaccida* vero, quæ aut conſiſtentiam habet in ſe laxiorem, aut inanitionem aliquam paſſa, in ſe quaſi ſubſidit. Cujus rei habemus exemplum in Pene, qui dum erigitur quodammodo riget; exhauſtis vero ſanguine & ſpiritibus, quibus tenſionem illam debebat, hui! quam cito flacceſcit.

Dura, cujus particulæ ſe mutuo immediatè & plurimis punctis contingentes, firmiter coadunantur, ut ex ſuperficie in ſe ad tactum non cedat: *Mollis* autem, quæ ob contrariam particularum ſuarum diſpoſitionem, tactui facile cedit: Sic Caro Muſculoſa oſſibus mollior eſt, eo quod particulis conſtat ſeſe minus immediate contingentibus, tactuique proinde cedit in ſuperficie.

Læva, quæ ex particulis ad minimas uſque lævigatis compingitur: *Aſpera*, è contrario, cujus componentes particulæ ſunt aſperatæ. Lævor enim & Aſperitas

Aſperitas ſunt *Figuræ* accidentia communia; qualium qualitatum *prior* â ſuperficiei æqualitate profluit, facitq; ut corpus aliquod ab alio facile dilabatur; *Poſterior* autem provenit â ſuperficiei inæqualitate, qua fit, ut partes ſibi invicem adhærefcant. Et hæc quidem breviter, velutiq; per tranſennam dicta ſunto, de iis Qualitatibus communibus, quæ in rimanda partium corporis temperie accuratiorem deſiderant indaginem; quaſq; propterea ſingulatim jam percurrimus, quod diſtincta earum cognitio ad eſſentiam Sanitatis penitius perſcrutandam quam maxime faciat. Jam vero (ut eo, unde digreſſa eſt, tandem referat ſe diſquiſitio) ad Conſtitutionis *Vitalis* examen proxime accedimus.

8. Per Conſtitutionem *Vitalem,* requiſitam uniuſcujuſque partis diſpoſitionem intelligi volumus eam, quæ â perenni ſpirituum vitalium, unà cum vitali nectare, ſive ſanguine univerſum corpus perluente diffuſorum, affluxu immediate & exoritur, & dependet: quæque, ut interdum intenſius, remiſſius interdum ſe habeat, imo vero nonnunquam quoq; (quod in Lipothymia & Syncope frequentiſſime accidit) aliqualem pati videatur eclipſin; ab ipſo tamen vitæ exordio ad mortem uſque (in corde ſaltem, & Arteriis huic vicinis) conſtanter perſeverat, nec penitus extingui poteſt, Animali ſuperſtite.

Hæc autem in *Originalem,* quæ partibus influit; & *Participatam,* quæ in iiſdem ab influxu ſpiritus vitalis, per ſingula vitæ momenta, quaſi de novo producitur, ac proinde eſt in perpetuo *fieri*; haud incommode dirimi poteſt.

9. *Sub-*

Digitized by Google

9. *Subjectum* cui inhæret *Prior*, ſunt ipſimet Spiritus Vitales, in ſanguine, dum cor pertranſit, accenſi; nequaquam vero ipſiuſmet cordis ſubſtantia, ſicut à Veteribus olim falſo eſt exiſtimatum. Certiſſimum quippe eſt, Cor, quicquid caloris & vitalitatis habeat, id totum mutuari à ſanguine, partim per ipſius ventriculos permeante, partim in ſubſtantiam ex Arteria Coronaria delato: Ut colligere pronum ſit ex eo, quod conſtitutio Vitalis ſit quiddam Tranſiens, & in ipſo motu ac continuo Fieri conſiſtat; atq; neceſſum ſit proinde, ut eadem in ſubjecto mobili & evanido, cujuſmodi ſunt ſpiritus vitales, radicetur. Etenim, ubi membrum aliquod fuerit abſciſſum, conſtitutio ejus vitalis confeſtim & unico quaſi momento extinguitur; remanet vero aliquandiu Naturalis, licet ea quoq; ab eo tempore, quo ab influxu vitali irradiari, foveri, exaltariq; deſiit, mox ſenſim elangueſcere incipiat, & ad omnimodam diſſolutionem feſtinet. Idq; contingit quidem, non ob alicujus cauſſæ Poſitivæ hoſtilitatem, ſed tantum ex Conſervantis & Vitalitatis principium in ſe continentis privatione. Deinde, ſingulæ corporis partes eatenus de conſtitutione vitali participant, quatenus alluuntur ſpiritibus, in illarum ſubſtantiam ſimul cum ſanguine deductis: Et per conſequens, Conſtitutio illa in Cordis parenchymate non Originalis haberi debet, ſed tantum Derivata, ſeu ex influxu producta. Quibus tandem accedit & hoc unicum obſervatu digniſſimum; nimirum, quod ſubito intendatur, remittatur, & alteretur Conſtitutio hæc Vitalis, in ſingulis corporis partibus, in proportione

ad majorem minoremvè ſpir. vitalium in illas influentium copiam: ubi enim & generantur, & diſtribuuntur ſpir. vitales ea qua par eſt proportione; ſingula membra vigent, & veluti novis afflata viribus, mirum in modum recreantur. Ita in Lipothymia deficiente Corde, ſubito vita partium languet: Aſt ubi Cardiaco quovis generoſo refecti ſunt ſpiritus, vitalem conſtitutionem mox cernimus in omnibus partibus nonnihil reparari. Quum itaq; perſpicuum ſit; Conſtitutionem hancce vitalem, tum in ipſomet Corde, tum in reliquis omnibus corporis partibus ſolidis, eſſe mobilem & evanidam; ipſamq; inſuper & intendi, & remitti, pro modulo ſpirituum vitalium in ſanguine generatorum, inque partes influentium: quid planius, verius quid eſſe poſſit, quam quod eadem in iis non ſit Originalis, ſed *Adventitia*, ſeu per participationem producta; quodque ſpir. iſti vitales, quorum affluxu dicta conſtitutio ſingulis partibus impertitur, ſint proprium & adæquatum ejuſdem ſubjectum inhæſionis? Intrepide igitur concludamus, Conſtitutionem vitalem, de qua heic nobis ſermo eſt, eſſe quidem mere *Derivativam*, reſpectu *partium ſolidarum*, quibus continuo imprimitur; reſpectu vero *ſpir. vitalium*, â quibus unice ac immediate profluit dependetque, abſolute *Originalem*.

10. Verum enim vero, ut clarius adhuc innoteſcat hujus natura, animadvertendum eſt præterea; quod ad debitam ejuſdem integritatem ſive perfectionem *Tria* requirantur concurrere. viz. (1) Ut ſpir. vitales tum ſufficienti copia, tum luciditate puritatevè

puritatevè requiſita, in corde generentur, & accendantur; (2) ut iidem ſic geniti, partibus per Arterias libere copioſeque diſpenſentur; & (3) ut ab iiſdem excipiantur. Horum duo quidem priora ad *Conſtitutionem* vitalem Originalem proprie ſpectant & neceſſario; poſtremum vero ad *Participatam.*

11. Quæ conſiſtere videtur quoq; in *Tribus*; nimirum (1) in ipſamet ſpiritus vitalis cum partibus ſolidis unione; (2) in Caloris vitalis inibi excitatione, ſive accenſione; & (3) in vivificatione ac exaltatione conſtitutionis Naturalis, facultatumq; illius omnium. Quod licet ultimum ſit in Executione; quoad Naturæ tamen intentionem primum eſt, utpote cui cætera ſubordinate inſerviunt. Eo etenim fine tum generantur Spir. vitales, tum univerſim diffunduntur, tum partium deniq; ſpiritibus inſitis aſſociantur & uniuntur; ut conſtitutio partium Naturalis exinde refocilletur, excitetur ad agendum, & in actionibus ſuis ſtrenue obeundis aliquatenus invigoretur. De his vero ſingulatim, & ex ordine nobis jam diſpiciendum eſt.

12. Quod ad *Primum* igitur (*Unionem* ſcilicet Spirituum Vitalium cum partibus ſolidis) attinet; ſciendum eſt, eſſe eam vel ipſimet partium vitalitati ſumme neceſſariam. Partes enim ſolidæ eatenus ſolum dicuntur de vita eſſe actu participes, quatenus ſpirituum vitalium affluxu, afflatu, & contagio, ſingulis momentis, irrigantur, veluti q; irradiantur, & impragnantur. Neq; etenim abſq;

 ſpiritu

Digitized by Google

ſpiritu vitali conſiſtere ullibi poteſt vita. Quocirca, cum ſpiritus vitales, in Cordis foco recens accenſi, unaq; cum ſanguine ſingulis partibus appulſi, in ipſam earum ſubſtantiam profunde excipiuntur, & ſpiritibus inſitis, per amplexus mutuos, ob naturæ affinitatem, uniuntur; tunc ſane iiſdem veluti de novo imprimitur charagma vitalitatis, eoq; modo de natura vitæ participant. *Spiritibus inſitis* dicimus; quum enim ſit de natura ſpirituum vitalium, ut continuo generentur, continuo avolent, ſive ſint in perpetuo Fieri (quemadmodum à nobis, in tract. noſtr. *de Oecon. Animal. exercit.* i. fuſe declaratum) ideoq; plane ſit neceſſum, ut unio eorum cum partibus ſolidis ſit ſimiliter tranſiens, minime vero permanens: Videtur quidem veritati ſumme conſentaneum, ut eadem in ipſo congreſſu mutuoq; amplexu ſpiritus inſiti Naturalis, & influentis vitalis omnimode conſiſtat.

Cæterum, congreſſus iſte, quò ex naturæ inſtituto accurate fiat, & partibus cedat in emolumentum atq; ſolatium, debet eſſe (1) *Moderatus*, & ab omni violentia immunis; ne ſpiritus inſiti ab influentium appulſu fortiori diſſipentur, & peſſundentur, id quod in Febribus ardentibus uſu venit frequentiſſime, indeq; fit, ut irritentur partes & excandeſcant, potius quam refocillentur ex æſtuantis ſanguinis ſpirituumq; præfervidorum influxu impetuoſo. (2) *Validus* tamen utrinque, non languidus; ne caloris vitalis excitatio imperfecta fiat & infauſta. (3) *Placidus* omnino utriſq; & gratus, hoſtilis vero nequaquam; idq; ne puritas ſpirituum influentium ab inſitorum malitia aut incongruitate cor-

corrumpatur; & vice verſa. (4) Cum *lucta quadam reciproca* conjunctus. Quandoquidem uterq; enim ſpiritus, præ ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitate & mobilitate agilis ſit, ſummoq; vigore præditus: Fieri vix poteſt, ut congrediantur, quin ſimul aliquantulum colluctentur. Obſervandum tamen, Colluctationem hanc abſq; voluptate quadam, mutuaque quaſi complacentia haud contingere. Enimvero, ubi ſpiritus vitales vigoroſi cum inſitis pariter vigoroſis congrediuntur, exoriri quidem neceſſe eſt contentionem quandam; ſed talem, quæ comitem ſibi habeat quiddam voluptatis. Ut planius rem dicamus. Spiritus inſiti, tanquam ſponſa, ſimul & benigne excipiunt, & quodammodo â ſuis amplexibus repellunt ſpiritus influentes, qui heic quaſi ſponſi agunt perſonam: Verum vitales, calore ſuo ſtimulati, & arteriarum ſyſtole fortiter propulſi, audacius ac confidentius paulo inſitos invadunt, eorumq; fines ac terminos penetrant ſubeuntque; dum inſiti interim (ut modeſte renitentes & reluctantes) non ſine voluptate quadam eos amplectuntur. Eo quippe fine (uti jam diximus) tum generantur, tum diſtribuuntur Spir. Vitales, ut demum pervadant conſtitutionem inſitam partium ſolidarum, eaſq; virtute ſua vivifica ad meditullium uſq; imbuant: Atqui cum non poſſint hi ita ſubſtantiam partium pervadere ſine nixu & renixu; Neceſſario contingit, ut vigor iſtius Luctæ, ſive nixus & renixus, major ſit minorve, pro copia, calore, & activitate ſpirituum inter ſe reciproce concertantium. Et hæc quidem de Unione dictorum ſpirituum ſufficiant.

13. Quoad

Digitized by Google

13. Quoad *Secundum*, Caloris nempe vitalis *Excitationem* in partibus ſolidis; advertimus, eam partim â modo explicata ſpirituum cum partibus ſolidis Unione; partimq; â motu quodam Expanſivo in ipſis partibus excitato, provenire. Prius ex eo evincatur, quod ſanguis, cum ſpiritibus calidis & ſuapte ſponte mobilibus ſit refertiſſimus, ad partium terminos haud citius pertingat, quin eiſdem illico ſuum imprimat calorem: Eſt enim de caloris eſſentia, ut corpora quæcunq; incurrit, eadem pro modulo ſuo magis minuſve calefaciat. Alterum autem exinde pateat, quod, quum ipſiuſmet caloris vitalis ratio formalis in expanſivo quodam ſpirituum vitalium motu, è corde quidem uniformiter diffuſo, nonnihil tamen ſimul cohibito in anguſtiis arteriarum, conſiſtat (quemadmodum in *Oeconom. Animal. Exercit.* 5. λόγοις ἀναγκαστικοῖς, καὶ οὐκ εὐπόροις διαλύειν, â nobis demonſtratum eſt) haud fieri poſſit, ut calor iſte partium ſubſtantiam pervadat, quin & in iis quoq; conſimilem concitet motum expanſivum; quum cuivis ex Agentibus naturalibus ſit ſolenne, ut, quantum ſua ferat energia, in ſibi propria Paſſiva agat, per modum aſſimilandi. Calor autem iſte, qui in Animalium cordibus, ſeu Sanguine potius, tanquam primario igniculi vitalis foco, perpetim accenſus, & exinde per arterias una cum eodem ſanguine ac ſpiritibus undiquaq; diffuſus, univerſum corpus calefacit, fovet, vivificat, quiq; proinde calor dicitur *Animalis:* Si Eſſentiam ejus ſpectemus, haud multum differt ab eo, qui nobis â ſole, igneve quovis forinſecus adveniens, nominatur Externus;

omnia

Digitized by Google

omnia quippe, quæ ad generatim ſumpti Caloris naturam ſpectant, in ſe complectitur attributa. Sunt tamen, fatemur, Conditiones quædam, quæ, ut Calor in genere tranſmigret in Calorem Animalem, manifeſto faciunt. Requiritur nimirum, ut Calor, quo evadat vitalis, ſit (1) *Naturalis*, i. e. ab interno principio accenſus, â ſpiritu ſcilicet vitali in ſanguine hoſpitante. (2) *Moderatus*, i. e. æquo nec intenſior, nec remiſſior, ſed partibus exacte convenienti gradu conſtitutus. (3) *Uniformis* in ſingulis partibus, pro majori minorivè earum â corde diſtantia, proq; majori minorivè tum copia, tum amplitudine arteriarum, quibus eædem irrigantur. (4) *Purus*, i.e. ab omni qualitate aliena prorſus immunis; ſecus quippe partes minimè reficiet, imo vero inficiet potius miaſmate quodam noxio; quod in Febribus malignis, ubi acris redditur calor & balſamicis partium ſpiritibus infenſiſſimus, plerumq; contingere eſt credibile. Requiritur etiam, ut motus ejus rarefactivus ſit *moderatus*, *placidus*, & arteriolarum partiumq; ipſarum renixui quodammodo proportionatus. Non modo enim exceſſus alterutrius in ſe vitium eſt; ſed & ſi alter alteri ſit improportionatus, eo ipſo quoq; vitioſus eſt cenſendus. Sunt & aliæ adhuc Caloris vitalis, in ſtatu ſuo naturali conſtituti, conditiones; quas tamen heic annumerare ex induſtria omittimus, ne ſubtilitatem nimiam (qua ſcientiis certe nil damnoſius) videamur affectaſſe.

14. Quoad *Tertium* denique, *Naturalis ſcilicet partium ſolidarum Conſtitutionis, omniumq; illarum Facultatum*

Facultatum ab eadem dependentium vivificationem, vigorationem, & exaltationem (cui & ſpirituum vitalium cum partibus ipſis unio, & caloris vitalis in iiſdem exinde excitatio, ſunt neceſſario præcedaneæ) obſervandum eſt, Facultates illas, quas Naturales vocant, *Attractricem* ſcilicet, *Retentricem*, *Concoctricem*, *Excretricem*, & *Formatricem* ſeu *Aſſimilatricem*, quæ unicuique partibus, ceu indigenæ ab illius conſtitutione naturali primordialiter (ſaltem quoad actum Animæ ſecundum) profluentes, vulgo aſcribuntur; eſſe quodammodo ignavas, veluti emortuas, atq; actionibus ſuis rite perficiendis omnino impares, niſi ab influxu vitali excitentur, invigorentur, & exaltentur; uti in Lipothymia, aliiſq; Cordis languoribus evidentiſſime cernatur. Ratio autem ex ſe quidem manifeſta fat eſt. Cum nempe veriſſimum ſit (quod in Exercit. 6. Oecon. Anim. ex profeſſo probavimus) omnes actionum naturalium differentias, ex partium ſive organorum, in quibus fiunt, conſtitutione ſtructuravè varia exoriri; nullaſq; alias in univerſo corpore dari potentias, ſive Facultates Naturales, niſi quæ (quoad naturam ſuam *potentialem*) in peculiari quadam hujus vel illius partis conſtitutione fundantur; cumq; in nobiſmet ipſis quotidie experiamur, ſingulas partes muneribus ſuis tanto vegetius, expeditius, & felicius defungi, quanto copioſius perfunduntur ſpiritibus vitalibus à Corde tranſmiſſis: Quid planius eſſe poſſit, quàm quod Facultates dictæ, quoad *actuatam* jamq; vivam factam eorum eſſentiam ab influxu vitali neceſſario dependeant? Sed jam multa nimis de ratione conſtitutionis vitalis.

15. Supereſt

15. Supereſt tantum, conſtitutionis Mobilis *Animalis* eſſentiam ſolerter expendamus. Facultatem Animalem, quæ duplicem *Sentiendi*, proq; voluntatis imperio *Movendi* potentiam in ſe complecti vulgo perhibetur, à Cerebro (poſt Animam) primario profluere, & ab ejuſdem regimine dependere; omnibus quidem eſt in confeſſo. De modo verùm, & ratione regiminis iſtius, ſeu, ut planius dicamus, quomodo Cerebrum ad ſenſus Motuſq; actiones peragendas conferat; aliud atq; aliud ſentiunt Eruditi.

Vetus, hodieq; etiam maxime divulgata opinio eſt, motus atq; actiones omnes, quas Animales vocant Medici, fieri potiſſimum beneficio ſive interventu ſpirituum Animalium; qui è puriſſimis, luciſſimiſq; ſanguinis particulis in Cerebro geniti, per Nervos exinde in univerſum corpus velociſſimo, & fulguris etiam ipſius pernicitatem ſuperante motu diffunduntur; ut eidem demum per eoſdem refluentes, Emiſſariorum more, Animæ renuncient, quicquid ab externorum ſenſuum organis fuerit perceptum. Ut, juxta hujuſmodi hypotheſin, haud incommode deſcribi poſſit Conſtitutio Animalis, quod ſit *corporis diſpoſitio illa, quæ in Spirituum Animalium tum generatione, tum motu reciproco, ſive à Cerebro excurſu, & ad idem iterum recurſu debito conſiſtit.*

E Recentioribus vero nonnulli, licet Spirituum Animalium & generationem in Cerebro, & è Cerebro ad ſingulas partes per Nervos tranſmiſſionem haud gravatè admittant; eorundem tamen effluxum ac refluxum perniciſſimum, ceu

inconceptibilem prorſus, minimeq; neceſſarium conati ſunt rejicere. Et loco illius novam, & ad omnia ſentiendi phænomena commodius perſolvenda (ita enim exiſtimant) magis probabilem ſubſtituunt Hypotheſin. Statuunt nempe nobis, inter vigilandum, fieri motum quendam contractivum & tonicum, ſive nixum motivum ipſius ſubſtantiæ Cerebri, ſpinalis medullæ, Nervorum inde enatorum, & partium deniq; omnium, in quas inſeruntur Nervi: Huncq; motum ſive nixum, Tenſitatem quandam in partibus illis efficere, vi cujus alterationes ab objectis unicuiq; è partibus impreſſæ, Cerebro mox communicantur. Quemadmodum enim in Cithara, ubi rite tenduntur chordulæ, ſi in alterutra extremitate quam leviſſime etiam percutiantur, motus iſte impreſſus momento excurrit ad alteram: Ita quoq; arbitrantur, moto aliquo Nervo, extra Cerebrum debite tenſo, motum iſtum, ob continuitatem ac tenſitatem dictarum partium, ad Cerebrum uſq; ipſum extemplo propagari, ibidemq; impreſſionem quandam cauſſæ ſuæ conformem ſignare; indeq; eſſe, ut de rei imprimentis natura & qualitatibus judicium ferat ſenſus Communis, qui ſedem habet in ipſo Cerebri meditullio. Haud aliter ac Aranea in retis ſui centro inſidians, vel leviſſimum ictum ex ejus filamentis alicui ab involante Muſca illatum quam citiſſime percipit, atq; ex eodem de prædæ captione prompte dijudicat.

16. Verum tamen, utrum hæc poſterior, Illave prior, de Senſationis & regiminis Animalis modo, ſententia

ſententia ſit veritati magis conſentanea; non hujus loci eſt decernere: Ad præſens quippe inſtitutum ſufficiat, ut ſciamus, quod ad virtutis illius, quæ ſingulis partibus â Cerebro afflata, roboris vigoriſq; haud parum eiſdem largitur; quæq; tertiam Conſtitutionis Accidentariæ partem conſtituit, integritatem explendam, ſtabiliendamque, requiratur *ſpirituum Animalium influxus perennis*, unà cum ipſarum partium recipientium diſpoſitione tali, ratione cujus actionibus ſuis naturalibus debito modo perficiendis aptæ ſint. Cæterum Conſtitutio hæc Animalis, quæ in virtute quadam invigorativa, â Cerebro ſimul cum Spiritibus Animalibus derivata, potiſſimum videatur radicari; Mobilis utiq; eſt & evanida, adeo ut in variis partibus deficiat nonnunquam, etiamnum ſuperſtite illarum vitâ, uti in Paralyticis pronum eſt obſervare; quinimo poſſit in omnibus deficere, ſi eas duntaxat exceperis, quæ neceſſario faciunt ad reſpirationem, ſine qua ne momento quidem vivere poſſunt Animalia.

Expedito jam tandem, quid ſit partium Conſtitutio Mobilis, in qua ut Sanitas, ita & Morbus cenſeatur fundari; explicatiſq; in ſpecie ſingulis, quotquot ad trimembrem ejus diviſionem in Naturalem, Vitalem & Animalem, quovis modo ſpectent: Reſtant quædam, de dictarum conſtitutionum mutua inter ſe *Connexione*, ſive Combinatione, ad explendam ſanitatis eſſentiam requiſita, breviter attingenda.

17. Sciendum itaq; primo eſt, Conſtitutiones

ſupra deſcriptas eam inter ſe ſervare Connexionem; ut Secunda Prioris, & Tertia Secundæ exiſtentiam in parte aliqua ſemper & continue præſupponat: Non autem vice verſa, pari neceſſitate ab invicem dependere; quoniam, ut dictum eſt, Prior aliquandiu ſine Secunda, & Secunda fere omnino ſine Tertia ſubſiſtere queat.

18. Advertendum deinde, quod hæ tres Conſtitutiones, ut ut in pleriſq; corporis partibus manifeſte deprehendantur; non tamen in omnibus poſſint inveniri. Naturalis quidem, ut & vitalis nulli ex partibus deeſt: Animalis autem in Oſſibus (licet de Dentibus haud immerito ambigatur.) Cartilaginibus, forte Ligamentis, & nonnullis parenchymatis, Hepatis puta & Lienis, &c. plane deficit. Quibus ergo Facultas Naturalis, Vitalis, & Animalis communicatur; iis omnibus triplicem hanc ineſſe conſtitutionem tuto concludamus.

19. Obſervandum denique, quod quum præter Conſtitutionem Naturalem & Inſitam, duo Alterationum genera (neceſſum quippe eſt, ut Alteratio aliqua ex utriuſq; ordinis ſpirituum appulſu, motuque, in ipſas partes recipientes imprimatur) alterum ab influxu vitali, ab Animali virtute alterum, in plurimis partibus manifeſto reperiantur; cumq; Alterationes illæ, quatenus ipſæ vel perfectiores ſunt, vel imperfectiores, Facultates in partibus reſpectivis pariter perfectiores conſtituant, vel imperfectiores; adeoq; Actiones ab iiſdem Facultatibus

cultatibus peragendæ, exinde vel integræ edantur vel læſæ: Cum hæc ita ſe habeant, inquam, de neceſſitate inevitabili conſequitur, quod Trimembris hæc Conſtitutio, circa quam hactenus verſati ſumus, plurimis partibus ineſſe concedi debeat; quodq; dicta Alterationum genera ſint conſtituones Medicæ, in quibus tum Sanitas, tum Morbus unice fundatur. Et hæc de Eſſentia Sanitatis dicta ſunto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex-

Exercitatio II.

De Morbi Natura, ejuſq; Generibus ſummis.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Morbi* definitio *generalis* : 2 *Et* Differentiæ primæ, *undeq; deſumantur.* 3 *Optime dividi Partes Corporis in* Similares, *&* Organicas : 4 *Quarum utraq; definitur.* 5 *Digne autem rejicitur partium primo in* Similares *&* Diſſimilares, *ac deinde in* Organicas, *&* Inorganicas *bipartitio illa, à Neotericis excogitata.* 6 *Ad* Organi *complementum, quænam & quot requirantur* Accidentia realia. 7 *Morbum omnem vel* Similarem *eſſe, vel* Organicum. 8 Similares *radicitus conſiſtere in Intemperie* ; *eaq;* Simplici, *aut* Compoſita ; *& vel cum, vel ſine* Materia. 9 Organicorum *totidem eſſe ſpecies, quot ſunt vitia eorum, quæ ad integram deſiderantur Organi eſſentiam.* 10 *Unde Morbi in* Situ ; 11 Figura ; 12 Magnitudine ; 13 Numero ; *Et* 14 Continuitate *vitiatis.*

1. QUemadmodum, per *Sanitatem,* intelligunt omnes eum univerſi Corporis; omniumq; ejus partium ſtatum, quo apte conſtitutus eſt Homo, ad actiones omnes, quotquot ad humanam ſpectant naturam, rite perfecteq; perfungendas : Ita pariter per *Morbum,* ſanitatis contrarium, expreſſe deſignant vel univerſi corporis, vel alicujus illius partis ſtatum illum, quo is ita fuerit affectus, ut in peragendis vitæ muneribus aliquo modo deficiat. Ut Morbi generatim ſumpti natura in eo videatur conſiſtere, quod vel univerſum corpus, vel pars ejus aliqua, de optimo & naturali ſtatu ſuo ita deceſſerit, ut actionis alicujus ad Oeconomiæ Animalis integritatem ſpectantis læſio exinde conſequatur manifeſta. Quippe, τὸ δύνασθαι ἐνεργεῖν, eſt ὑγιαίνειν : Et contra, τὸ μὴ ὑγιαίνειν, ſive τὸ νοσεῖν, nil aliud eſt, quam ſimpliciter τὸ μὴ δύνασθαι ἐνεργεῖν. Unde egregie

Digitized by Google

egregie & pro inſigni ſua ſolertia factum fuit â *Galeno*, quod *Sanitatem*, per Διάθεσιν κατὰ φύσιν τῆς ἐνεργείας Ποιητικὴν, Diſpoſitionem ſecundum naturam actionum authorem, definiverit: Et *Morbum*, per Διάθεσιν παρὰ φύσιν, ὑφ' ἧς ἐνέργεια βλάπτεται, Diſpoſitionem præter naturam, ob quam actio læditur.

2. Quoniam vero Actiones in corpore Anima vitaq; prædito edendæ, inſigniter variæ ſunt, pro magna Functionum varietate; eæq; pro diverſo hujus illiuſve partis reſpectivæ vitio proprio, diverſimode poſſunt interturbari: Hinc exoriri permagnam Morborum varietatem, manifeſtum ſit; quos tamen ut ad Genera ſui ſumma, clarioris doctrinæ ergo, commodè referamus, conſentaneum erit, cum morbus quidem omnis in parte aliqua corporis penitus inſidet, *Primas* maximeq; generales illius *Differentias*, ex partium differentiis univerſalioribus deducere.

3. Partes vero, quatenus tum Sanitatis, tum Morbi ſunt ſubjectum inhæſionis, duplices ſunt; aliæ *Similares*, *Organicæ* aliæ. Quam quidem diſtinctionem, utpote quæ totius Pathológiæ quaſi ſolum quoddam atq; fundamentum meritiſſime reputetur, preſſo contractoq; ſtylo (ejus quippe contemplationem Phyſicam, in *Phyſiologia noſtra*, fuſiore demonſtrandi via olim ſumus perſecuti) ab omni ambiguitatis caligine vindicando, elucidare jam conabimur.

4. Partis

4. Partis *Similaris* appellatione, indigitamus *Corpus mixtum, uniforme, eaq; elementorum proportione & qualificatione contemperatum, quibus organo illi redditur idoneum, cujus conſtitutioni ex Naturæ inſtituto comparatur.*

Organicæ autem nomine intelligenda veniet ea, *quæ actioni alicui, ſive uſui, ratione Formæ ſuæ inſervit.* Ubi obſervare ſit in proclivi, partem dici *Similarem,* ſolius *Materiæ* ratione, ex qua conſtituta eſt: *Organica* verò, reſpectu *Formæ* eidem ſuperinductæ. Ex. gr. Os, habito ad ejus materiam reſpectu, pro parte habetur ſimilari; quælibet enim pars oſſis, os eſt: Sin formam ei â Natura ſuperadditam conſideremus, qua proportionem iſtam atq; aptitudinem adipiſcitur, ut cum aliis oſſibus debite articulatum, & muſculis nervisq; inſtructum, motibus voluntariis inſerviat: Hac utiq; ratione, Organi notionem ac titulum ſibi merito poſſit vendicare; hancq; ejus formam ubi ſemel deſtruxeris, ſimul organum eſſe mox deſinet, ſuperſtite tamen interea Materiâ ſimilari, quæ antea formæ illi erat ſubſtrata.

5. Et hinc quidem manifeſtum fit, ſubdiviſionem illam bipartitam partium in *Similares,* & *Diſſimilares,* ac deinde in *Organicas,* & *Inorganicas*; quam è recentioribus Anatomicis nonnulli ſibi ſunt imaginati; ceu ſuperfluam, nulliuſq; omnino in Medicina uſus, penitus explodi debere. Quum enim evidentiſſime pateat, omnem partium corporis *Materiam* poſſe reduci ad *Similarem*; cumq; dicere, partem aliquam varias partes ſimilares in

ſua

ſua ſubſtantia continere; perinde ſit, ac ſi diceretur, eundem eſſe Diſſimilarem: Hinc neceſſario conſequitur, ſimilares ſolas omnem partium materiam realem in ſe complecti. Conſimili ratiocinio, cum nomen illud [*Inorganicum*] omnimodam privationem, ſive abſentiam formæ, haud obſcure deſignet; nulla autem corporis viventis pars forma deſtituatur omni, nec fieri poſſit, ut pars quæpiam ſolida ſimul & informis, & vitæ particeps exiſtat: clare liquet, nomen Organi totam abſorbere partium Formam; vocemq; illam, *Inorganicum*, proinde è Medicorum libris prorſus eſſe impoſterum delendam. Quod obiter viſum eſt animadvertere, ut diſtributionis partium in Similares & Organicas, quæ â veteribus olim tradita fuit, quæq; ſola uſum obtinet in Arte Medica realem, ſoliditas, præq; altera Neotericorum dichotomia excellentia ſingularis, pleniori rationis luce, Tyronibus innoteſcat. Sed nobis jam arctius adhærendum eſt propoſito.

6. Propria Organi cujuſq; ratio, in *Conformatione* ad munus ſuum obeundum aptiſſima eſſentialiter unicèq; conſiſtit: Hæcq; conformatio ad integritatem ſuam quinq; efflagitat; *Situm* nempe, *Figuram, Magnitudinem, Numerum,* & *Continuitatem* Naturæ legibus convenientem; quæ propterea dicuntur Accidentia Formæ realia, quoniam ad Organi, quod idem ſignificat atq; Forma, conſtitutionem explendam neceſſario requiruntur concurrere, ac mutuo conſpirare. Horum autem ſymmetria & naturalis conſtitutio, Organi ſanitas eſt.

7. Jam vero ex hacce partium diviſione, oriuntur Duo prima ſummaq; Morbi Genera; quorum prius ſub ſe morbos *Similares* complectitur; *Organicos* vero alterum: Ex omnibus enim eis, quorum tyrannidi quomodocunq; obnoxia redditur corporis humani ſanitas, affectibus præternaturalibus, nullum profecto inveneris, qui non ad horum alterum commode referatur.

8. *Similarium* partium Sanitatem, in debita Elementorum ſive Materiæ conſtituentis proportione, qualificatione, & ſymmetria ſive temperie, penitus fundatam eſſe; ex prædictis luculenter patet. Indeq; pronum eſt inferre, per normam contrarietatis, quod earundem Morbi radicitus conſiſtant in materiæ qualitatum Aſymmetria, vel Intemperie; quando nimirum juſta illa qualitatum ad invicem proportio, quæ ad actiones perfungendas neceſſaria eſt, in qualibet parte non obſervatur. Unde hoc morborum genus *Intemperies* nominatur, ſive *Dyſcraſia.* Quæ quidem vel *Simplex* eſt, vel *Compoſita*; prout unica, vel plures è qualitatibus modum ſuum excedant. Intemperies autem *Simplices* quatuor numerantur, *Calida, Frigida, Humida, Sicca: Conjugata* vero totidem, *Calida & Sicca, Calida & Humida, Frigida & Sicca, Frigida & Humida.* Deinde alias hæ puræ exiſtunt; alias humoribus ſui conſimilibus & nonnunquam putredine corruptis conſociantur: Hæ *Materiales* ſive cum *Materia* conjunctæ dicuntur; Illæ *Nudæ* & ſine materia.

9. Quoad

9. Quoad autem morborum *Organicorum* claſſem; cum pars Inſtrumentalis non ex quibuſlibet, iiſque temere congeſtis & coagmentatis partibus ſimilaribus; ſed ordine quodam, numero, figura, ſitu, &c. conſtantibus (ut & totum corpus) componatur: Hinc totidem morborum ſpecies, partibus Organicis contingunt, quot ſunt ea, quæ ad integram Organi eſſentiam debent concurrere; eorum quippe uniuſcujuſq; vitium immoderatius, morbus eſt inſtrumentarius. Cujus idcirco Quinq; emergunt differentiæ; *Situs* una, altera *Figuræ*, tertia *Magnitudinis*, quarta *Numeri*, & quinta *Continuitatis*. De quibus omnibus eodem ordine ſigillatim nobis nunc dicendum.

10. Primò, quum pars aliqua male collocatur, idq; vel proprii ſui ſitus reſpectu, vel connexionis illius, quam cum aliis partibus obtinuiſſe debuit: Morbus quidem exoritur in *ſitu inconcinno*. Caſus prioris inſtantias habemus in præpoſtera viſcerum poſitione, in artuum luxatione, in prolapſu inteſtini in ſcrotum, in uteri procidentia, &c. poſterioris vero, in ſtrabiſmo.

11. Secundo, *Figuræ* vitia conciduntur adhuc minutius. Figura enim uniuſcujuſq; partis duplex eſt; Externa nimirum, quæ viſui repræſentatur; & Interna, quæ ex multis conſtat, ſcilicet ex Meatu, ex Cavitate, & ex Aſperitate aut Lævitate: Ac proinde neceſſum eſt, ut unaquæq; horum permutatio, & de naturali ſtatu deceſſio, Inſtrumenti morbus dicatur. Vitiatur Figura *Externa*, cum pars

aliqua inconcinnam ſuiſq; muneribus incongruam obtinet in exterioribus configurationem; ut cum crura intro contorquentur; cum caput vel rotundum, vel oblongum nimis eſt, &c. *Meatuum,* per quos feruntur diſtribuunturq; contenta, morbus eſt & *Dilatatio* nimia, qualem conſpicimus venæ in varicibus, & arteriæ in Aneuriſmate: Et huic contraria, *Anguſtia* immoderata, utrum ex Adſtrictione ea provenerit, an ex obſtructione. *Adſtrictio* contingit, quum meatus ab externa cauſſa anguſtiores evadunt; ut ſpiraculorum cutis denſitas atq; conniventia ex frigore & ſiccitate; ut Aſperæ arteriæ & Oeſophagi coarctatio ex premente Angina: *Obſtructio* autem, quum meatus ab incidente intuſq; hærente materia quaſi infarcti fiunt anguſtiores; quod vitium venis & arteriis gracilioribus inq; partium ſubſtantia terminatis, item inteſtinis ipſis, ductibuſq; omnibus frequens ineſſe ſolet. *Cavitatum* (quæ excipiendi continendiq; gratia comparatæ ſunt) morbi pariter ſunt *Dilatatio* nimia, & *Anguſtia.* Ad Priorem ſpectant *Anaſtomoſis,* cum oſcula, ſeu extremitates vaſorum aperiuntur, quo humores contenti effluunt: *Diapedeſis,* quando tunicæ vaſorum ita rareſiunt & laxantur, ut humores per eas ſenſim tranſudent: Et *Diæreſis,* cum â cauſſa incidente, erodente, vel rumpente, via aliqua, quæ adeſſe non debebat, in vaſis aperitur. Poſterior vero, pro cauſſarum varietate, eſt laterum cavitatis vel compreſſio, vel ſubſidentia, vel contractio, vel arctatio. *Lævoris* morbus eſt, quum partis alicujus ſuperficies, quæ lævis & lubrica eſſe debet, evaſerit aſpera; ut cum Trachæa

arteria ſenſibiliter nimis eſt aſpera ex acri catarrho raucedinem inducente. *Aſperitatis* contra, quum ſuperficies, quæ aſpera eſſe debet, redditur lævis; ut Ex. gr. Ventriculi, inteſtinorum, aut uteri (quæ ut firmius continerent, natura quodammodo aſpera conformavit in ſuperficie interiori) nimia lævigatio & lubricitas. Atq; hi quidem morbi idoneam Organi configurationem labefactant.

12. Tertio, *Magnitudinis* morbus eſt; quum pars aliqua aut ſupra convenientem naturæ molem increvit, aut infra ſubſtitit: Ut cum linguæ tanta eſt moles, quæ in ore comprehendi nequit; quo pertinent etiam omnes Tumores, qui ſunt partium extuberantiæ juſto majores: E contra magnitudinis *Diminutæ* exempla habere eſt, in linguæ brevitate, capitis, digitorum, crurumq; conciſa atq; minuta quantitate. Quod vitium Atrophia, Phthiſi, aut Rachitide correptis extenuatiſq; ſolenniter obtingit.

13. Quarto, *Numeri* morbus tum in exuperantia, tum in defectu conſiſtit. *Exuperantia* quidem eſt vel rei naturalis, ut ſexti digiti, aut tertii teſticuli, &c. vel rei toto genere p. n. ut verrucæ & calli. *Defectus* vero eſt ſolius rei naturalis, quæ vel ab ortu deeſt, ut quum quis manus naſcitur; vel poſtea detrahitur, ut in manus vel pedis amputatione, &c.

14. Poſtremò, *Continuitatis* morbus eſt ſolutio continui, qua mutua partium Connexio & Unitas diſſolvitur; qualem videre eſt in vulneribus, ulceribus,

Digitized by Google

ribus, fracturis, carie oſſium; contuſione, fibrarum divulſione, &c. Hæc vulgo morbus *Communis* dicitur, eo quod tum ad Similares, tum ad Organicas partes peræq; ſpectare videatur. Quoniam vero inſtrumenti ratio formalis conſiſtit omnino in requiſita conformatione, quæ continuitatis ſolutione manifeſto vitiatur: Nos ideo eam haud immerito numeramus inter morbos partium Organicarum proprios. Horſum retuleris *Dolorem*, qui eſt ſolutio quædam continuitatis, non quidem jam in facto, ſed in *fieri* exiſtens.

Ex-

Exercitatio III.

De Differentiis morborum Accidentariis atq; Communibus, undeq; ſpeciatim deriventur.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Accidentariæ Morborum Differentiæ, deſumptæ ex eorum* Origine, 2 Numero 3 Magnitudine: 4 Indole: 5 Duratione: 6 Eventu: 7 Cauſſis: 8 Anni temporibus: 9 Loco & Regione: 10 Temperamento: 11 Sexu: 12 Ætate: 13 Subjecto.

HActenus traditæ ſunt morborum differentiæ Eſſentiales & Primariæ; & â nobis nunc exigit inſtituti ratio, ut *Accidentarias* atque *Communes* particulatim percurramus. Sciendum eſt, igitur, quod è differentiis morborum, quæ quia non ab ipſamet morbi eſſentia, ſed ab Accidentibus quibuſdam eam aut inſequentibus, aut concomitantibus, aliiſq; circumſtantiis uniuiq; morborum ſpeciei communibus, deducuntur, Accidentariæ nominantur & Communes; alia ex morbi Origine, alia â Numero, tertia â Magnitudine, quarta â More ſive Indole, quinta â Duratione, ſexta ab Eventu, ſeptima â Cauſſis, octava ab Anni temporibus, nona â Loco & Regione, decima â Temperamento corporis affecti, undecima â Sexu, duodecima ab ætate, & poſtrema â Subjecto; ordinariè derivetur.

1. Ratione *ORIGINIS*; morbus alius eſt per *ἰδιοπάθειαν*, alius per *Συμπάθειαν*. *Idiopathia*, eſt

eſt morbus ab alio morbo non dependens; hæcq; denuo conciditur etiam minutius in Πρωτοπάθειαν, & Δευτεροπάθειαν. *Prior*, ſive morbus *primarius*, eſt idiopathia, quæ ab alio morbo ortum non duxit: *Poſterior* vero, ſive morbus *Secundarius*, eſt idiopathia, quæ ab alio morbo ſuam deſumpſit originem. Sympathia vero dicitur morbus, qui ab alio morbo & profluit & dependet. Et hæc quidem triplici de cauſſa contingit; nimirum vel quia parti compatienti id communicatur, quod communicari minime debebat; ut cum ab humido cerebro ſuccus aliquis præter naturæ morem in eodem genitus, in thoracem, ventriculum, aliamvè aliquam ex capiti ſubjectis partibus, ſtillicidii more, delabitur: Vel quia non communicatur, quod communicari debebat; ut cum ex vulnere ſpinæ dorſi exoritur brachii vel cruris reſolutio, ob denegatum in illas partes ſpirituum Animalium influxum; aut cum ex arteriæ cujuſdam præciſione inſequitur Atrophia in parte aliqua, propterea quod ſpiritus vitalis, ad vitalitatem ac vegetationem ſumme neceſſarius, in eam influere prohibetur: Vel deniq; quia licet materiæ quidem nihil aut communicatum fuerit, aut interceptum, pars tamen alia cum alia prius affecta compatitur, ob mutuam Connexionem, & operis ſocietatem. Ob Connexionem, ſeu potius Continuitatem, quando motus uni parti impreſſus, alii etiam illi continuæ impertitur; ut cum motus cerebro impreſſus, ſexto nervorum pari ad ventriculum excurrenti communicatur, unde ventriculus ad vomitum ſtimulatur. Ob operis ſocietatem; ut oſſe femoris fracto, læditur una & muſculorum illi

illi inſertorum motus. Qua diſtinctione, ***Hippocratis*** veſtigia adamuſſim premimus, qui ſympathiam conſtituit duplicem; aliam viz. per Materiæ communicationem; ſine ullius materiæ communicatione aliam.

2. Ratione ***NUMERI***, morbi alii dicuntur *Solitarii*, alii *Multiplices*. *Solitarius* vel ***Unus*** morbus eſt, qui in una eademq; corporis parte conſedit, ſive uni, ſive pluribus actionibus officit & incommodat: Cujuſmodi eſt ventriculi intemperies, quæ non unam aliquam, verum omnes pariter illius functiones ſubvertit. Seu, ut aliis placuit, Unus morbus eſt, qui idem unam partem, vel plures, continuatione tamen junctas & cohærentes, ſimul & ſemel occupat: Cujus ſortis eſſe videtur Febris; licet enim partes omnes corporis ſimilares occupet, quoniam tamen ex his apte inter ſe continuatis atq; conjunctis unum corpus efficitur, unus quoq; omnium morbus cenſetur. Hic autem duorum eſt generum; aut enim Simplex eſt, aut Compoſitus. *Simplex* eſt, qui unius duntaxat ſpeciei ſimplicem naturam accepit, ſive in ſimilarium, ſive in organicorum ſit ordine; ut calida intemperies, ut vulnus, ut ſimplex obſtructio. ***Compoſitus*** appellatur, qui ex multis eidem parti inſidentibus & quaſi connexis concrevit, unuſq; factus eſt; ut ventriculi intemperies calida, & intemperies ſicca, quæ unam ut conjugatam, ita & compoſitam efficiunt; ſic ex ulcere & intemperie calida (licet ſint morbi diverſi generis) ſi in eadem ſunt parte, morbus fit unus, iſq; compoſitus. ***Multi*** vero morbi

F ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quorum unus non inhæret parti quam alter obſidet, nec ei continuatur. Atq; hi aut impliciti ſunt, aut connexi, aut disjuncti. *Impliciti* ſive *Complicati* ſunt, qui uni eidemq; functioni incommodant; quales ſunt Pleuritis & Aſthma; horum enim ſocietate & concurſu communia quædam emergunt ſymptomata, quæ vix explicari, vel ab invicem disjungi poſſint, tuſſis nimirum & difficilis reſpiratio; illa autem pleuræ & lateri dicitur inhærere, hæc vero bronchiis pulmonum. *Connexi* ſive *Conſequentes* ſunt, quorum prior ad generationem poſterioris aliquid confert. Idq; bifariam contingit, alias ex ipſa morbi natura, quemadmodum Pleuritim neceſſario & proxime Febris conſequitur, eiq; connexa eſt: Alias ex partium conditione, quarum una cum altera affectum communicat. Hæc autem morborum diverſorum *Epigeneſis* (ita enim *Hippocrati* dicitur) tribus modis contingere poteſt, 1. *partium ſocietate & cognatione,* qualis ventriculo ob nervos cum cerebro intercedit: 2. *Situ proniori,* quo renum vitia in veſicam, & capitis excrementa in pulmones, &c. procidunt: & 3. *Partium imbecillitate,* qua ad excipiendos humores ab aliis partibus per Metaſtaſin tranſmiſſos proniores redduntur. Morbi deniq; *Disjuncti* ſive *Separati* ſunt, qui nec eidem actioni nocent, nec alter alterum producit, ſive ſint ejuſdem ſpeciei, ſive diverſæ: Ut vulnus capitis & cruris; pedis ulcus, & renum obſtructio; linguæ curtatio, & pedis luxatio, &c.

3. Ra-

Digitized by Google

3. Ratione *MAGNITUDINIS*, morbus eſt magnus, vel parvus. *Magnus* eſt, qui magnopere affligit, nec niſi difficulter amolitur. Idq; vel (1) ob ingentem â ſtatu naturali receſſum; ut Febris ardens longe major eſt quam Ephemera, & longius adhuc, ubi in corpus ſenile inciderit: Vel (2) ob præſtantiam partis affectæ, maxime ſi ejuſmodi fuerit ea, cujus officio vita carere nequit; ut vulnus cordis: Vel (3) quia cauſſam agnoſcit malignam; ut vulnus ab animali venenato inflictum, quod ad τὸ θεῖον *Hippocratis* haud incongrue referatur: Vel (4) quia graviorum ſymptomatum ſtipatur ſatellitio; ut affectio Colica, doloris ſævitia corpus fatigans, vireſq; ejus celerrime proſternens. *Parvus* vero, qui contrario modo ſe habet.

4. Reſpectu *MORIS*, ſive Indolis, aut agendi modo, quo ægrum pro apparente ſua natura afficit; morbus alius habetur benignus, alius malignus. *Benignus* eſt, qui nihil graviorum ſymptomatum ſupra propriam ſuam eſſentiam habet ſibi conjunctum, tantumq; ea, quæ proveniunt à peculiari â ſtatu naturali receſſu; ut Febris Tertiana, & Cauſus. E contrario, *Malignus* dicitur, qui aut vehementius ſævit, aut perſeverat diutius, quam natura ejus præ ſe fert; idq; ob τὸ θεῖον illi conjunctum: Ut Febris peſtilens, Ulcus cacoethes. Unde hujus ſortis morbi ab *Hippocrate* dicuntur eſſe *Mali moris*, ſeu Cacoethici.

5. *DURATIONIS* reſpectu, morbus eſt Brevis, vel Longus; Continuus vel Intermittens;

 Recens,

Recens, vel Inveteratus. Primo, *Brevis* dicitur, qui celerem obtinet motum, citoq; proinde ad terminum ſuum (utrum is ſalutaris fuerit, an vero exitialis) pervenit. Hic autem ſubdividitur in periculo vacuum, qualis eſt Ephemera; & diſcriminis plenum, qui ſpeciatim vocatur *Acutus*. *Acutus* eſt, qui velociter, atq; cum impetu & periculo ad ſtatum movetur: Eſtq; pro variis velocitatis & vehementiæ gradibus, vel *Perperacutus* ſive *Peracutiſſimus*, qui tridui communiter, & ad ſummum quatridui ſpatio curſum ſuum abſolvit; ut Feb. peſtilens, Apoplexia gravis, Tetanus: Vel *Peracutus*, qui pro termino ſummo ſeptimum habet diem; cujus cenſus ſunt Cholera, & Angina exquiſita: Vel *Acutus ſimpliciter*, qui uſq; ad decimum quartum, vel vigeſimum diem ad ſummum extenditur; cujus ſortis ſunt Pleuritis & Peripneumonia, item Feb. continua non ardens, Lethargus, &c. Vel deniq; *Acutus ἐκ μεταπτώσεως, ex Decidentia*, ſeu (ut alii ſignificantius ad rem vertunt) ex *Degeneratione*, qui quaſi à natura Acutorum aliquatenus degenerat, & ultra vigeſimum, atq; etiam ad diem uſq; quadrageſimum durat. Ultra vero 40 diem qui prolongatur, jam *Longorum* ſeu *Chronicorum* albo meretur inſcribi. Secundo, morbus *Continuus* eſt, qui à principio ad finem uſque continuò, citraq; intermiſſionis aliquid, ægrum exercet atq; fatigat. Iſq; aut ita eſt continuus, ut toto durationis tempore ejuſdem prorſus ſit tenoris, ſive nec increſcens, nec remittens; eumque Συνοχὸν, i. e. *Continentem* nuncupant: Aut quamvis indeſinenter affligat, alternas tamen exacerbationes

acerbationes atq; remiſſiones habeat; huncq; *Continuum ſimpliciter*, vel *Remittentem* indigitant. *Intermittens*, qui non quidem continuo, ſed per temporum intervalla affligit, acceſſiones repetens, totieſq; ad quietem perveniens: Eſtq; vel *Periodicus*, qui ſtatis periodis recurrit & remittitur, ut Feb. tertiana, quotidiana, aut quartana intermittens; vel *Erraticus*, qui alias longiores, alias breviores habet intermiſſiones, ut Feb. erratica ex Scorbuto. In utroq; autem per *Periodum* intelligimus ſpatium temporis ex morbi intenſione & remiſſione ſingulari conſtans. Pars periodi, qua morbus intermittens exacerbatur ſive intenditur, dicitur *Paroxyſmus* ſive *Acceſſio*: Qua iterum miteſcit & intermittitur, *Integritas*, & in febribus proprie *Aſphyxia*. Tertio, morbus *Recens* eſt, qui nuper primum incepit ægrum exercere: Contra, *Inveteratus*, qui diu jam duravit. Accedit inſuper, quod Morbus, ratione Durationis, etiam dicitur eſſe vel in principio, vel in augmento, vel in ſtatu & vigore, vel in declinatione. Hæcq; Tempora morborum ſunt Duplicia; Univerſalia; quibus totius morbi decurſus includitur & comprehenditur; nimirum ἀρχὴ, Principium, quo morbus movere agereve incipit, nec actiones multum lædit; Ἀύξησις, Augmentum ſive Incrementum, quo is jam vires ſumens, magis magiſq; ingraveſcit; Ἀκμὴ, Status, ſive vigor, ubi natura graviſſime affligitur, omniaq; ſymptomata fiunt jam vehementiſſima: Παρακμὴ, Declinatio, qua morbus â natura victus incipit miteſcere, ægrumq; deſerere. Et Particularia; quibus uniuſcujuſq; periodi particularis

Digitized by Google

cularis mutationes diſtinguuntur; & ſunt paroxyſmi principium, augmentum, ſtatus, declinatio. Ubi obiter notandum, quod hæc tempora in morbis oriantur in genere, tum â varia materiæ morbificæ alteratione, auctione, vel imminutione; tum ab ægri temperamento roboreq; diverſimode immutato. Cum enim in principio ægri vires adhuc ſint validæ, materiaq; morbifica nondum valde ſit alterata; heinc omnia ſymptomata in principio ſunt mitiora: Sed cum illius partes ſenſim aliter diſponantur, illaq; ſæpe magis magiſq; ſenſim incaleſcat, & nonnunquam acrior evadat, vireſq; ægri exinde debilitentur; heinc morbus pedetentim gravior, & tandem graviſſimus, per maximam humorum ebullitionem ac efferveſcentiam, ſeu fermentationem putredinalem, quæ frequentiſſime accidit, evadere conſuevit. Cumq; per ebullitionem vel attenuationem materia morbifica expelli, ubi Criſis inſtituitur ſalutaris; vel æger ipſe ab illa, ubi Criſis eſt lethalis, opprimi ſoleat: Heinc circa morbi vigorem ægri, ſi debiliores fuerint, intereunt; ſin robuſtiores, vehementer quidem perturbantur, ſed poſtea melius habent, & morbus paulatim declinat, ac denuo finitur. Notandum etiam, quod morbi *Lethales quatuor hæc tempora non habent*. Æger enim, naturâ jam victâ & proſtratâ, moritur vel in principio; vel, quod ſæpius accidit, in augmento aut ſtatu; taleſq; ad declinationem uſq; non perveniunt, & nemo unquam in morbi declinatione periit. Neq; enim poſſibile eſt, ut poſtquam cauſſa morbifica jam concocta eſt & debellata, naturaq; ſuperior evaſit, æger extinguatur;

Digitized by Google

tur; modo recta curatio adhibeatur, & æger etiam ſuum officium faciat. Nam ſi contingat, ut quis tum fatis concedat; fit hoc vel ob inſignem aliquem regiminis errorem, aut quod morbus mutatur in alium, eumq; graviorem: Adeoq; decumbens quidem non in prioris morbi declinatione, ſed in novi cujuſdam denuo ſuccreſcentis aut principio, aut incremento, vita fit extorris.

6. Ab EVENTU, morbus dicitur *Salutaris*, qui ut plurimum exitu terminatur ſalutari; ut Tertiana vera: vel *Dubius*, qui ancipitis ſpei eſt, aliis ſalutem, mortem aliis inferens; ut Pleuritis: vel *Lethalis*, qui plerumq; & maxima ex parte ægros perimit; ut Peſtis, & Apoplexia gravis. Item *Sanabilis*, qui artificioſe adhibitis remediis cedit; ut Feb. ardens: *Inſanabilis*, qui etſi tarde, certo tamen ſemper ducit ad interitum, nec unquam integre ſanatur; ut Cancer, & Elephantiaſis.

7. A CAUSSIS morbificis, morbus vocatur *Exquiſitus*, qui ex ſimplici ſincerovè aliquo humore oriri perhibetur; qualis eſt Tertiana Exquiſita, quam ortum ducere volunt â bile ſincera in ſanguine ſupra modum efferata ac turgeſcente: vel *Spurius*, ſive *Nothus*, qui â mixtis humoribus ducit originem; ut Tertiana notha, quæ fertur ex bile pituitæ admixta provenire. Deinde heinc etiam è morbis alii dicuntur *Hæreditarii*, quorum ſemina ab ipſis parentibus in liberos, quaſi tranſplantatione facta, propagantur, & cum vitium

aliquod,

Digitized by Google

aliquod, cui parentes antea fuere obnoxii, una cum ſemine ipſo & lacte uterino, in ſobolem traducitur. Ita haud raro liberis imprimitur Podagra, & Lithiaſis, jure Hæreditario. Alii *Nativi*, qui â primo uſq; ortu infeſtant, ubi ſcilicet conformationis vitio morbus aliquis liberis obtingit, qui in parentibus nunquam fuerit deprehenſus; ut in claudis vel gibboſis obſervatur. Alii *Adſcititii*, qui poſt nativitatem ex quacunq; cauſſa contingunt; ut vulnera, fracturæ, luxationes, &c. Præterea, hinc quoq; alii morbi dicuntur *Sanguinei*, qui pro cauſſa ſua ſanguinem aut in vaſis luxuriantem ac effervescentem, aut è vaſis effuſum & in alicujus partis ſubſtantia, inter circulandum, reſtitantem, habent; ut Synochus, & Phlegmone: Alii *Bilioſi*, qui exoriuntur â bile; ut de Tertiana exquiſita, & Eryſipelate vulgo ferunt: Alii *Pituitoſi*, qui fiunt â Phlegmate; cujus ſortis eſſe traditur Feb. quotidiana, & Oedema: Alii deniq; *Melancholici*, qui ex melancholia ſuccreſcunt; ut Quartana, & Scirrhus. Quibus addamus & *Seroſos*, ex latice ſeroſo è Lymphæductibus effuſo prognatos; qualis eſt Hydrops.

8. Ab *ANNI TEMPORIBUS*, morbi alii dicuntur Verni, alii Æſtivi, alii Autumnales, alii Hyberni. Quamvis enim (ut loquitur *divinus Senex. Aphor.* 19. *Sect.* 3.) morborum genus omne omnibus anni temporibus exiſtat; eorum tamen alii certis anni temporibus facilius & fiunt, & ingraveſcunt: Nempe ob analogiam quandam corporis humoribus cum aeris ambientis temperie quaſi neceſſario

neceſſario intercedentem. Heinc *Verni* ſunt, qui verno tempore magis conſuete invadunt; quales ii ſunt, quos *idem Cous in Aphor*. 20. *Sect*. ejuſdem, enumeravit. *Æſtivi*, qui æſtati ſunt propinqui, cum illius temperamento cognatione manifeſta conveniunt, & ab illius ardoribus inprimis excitantur:ita Cauſus frequentius accenditur æſtate, cum ſiccis aer fervoribus uſtus candet. *Autumnales*, qui autumno maxime ſunt familiares; ut morbi omnes è Melancholia oriundi, Feb. nimirum quartanæ & erraticæ, Lienis tumores, &c. quos in *Aph.* 22. *ſect.* 3. ſimul congeſſit *Hipp.* *Hyberni*, qui, quum triſtis hyems ſqualentia protulit ora, ordinarie infeſtant; ut Pleuritis, Lethargus, Gravedines, Tuſſes, &c. in *Aph.* proxime ſubſequente recenſiti.

9. A *LOCO* & *REGIONE*, morbi alii nominantur πανδήμιοι ſive *Communes*; alii Σποραδἑες, ſive *Diſperſi*. *Pandemii* ſunt totius plebis morbi, ſive omnibus communes, quando ejuſdem ſpeciei morbi in aliqua regione plures eodem tempore invadunt. Suntq; vel Επιδήμιοι, *Epidemici*, qui ejuſdem generis plures, ab eadem communi cauſſa, non tamen vernacula, ſimul corripiunt. Et hi ſunt plerumq; *Maligni*, *Peſtilentes*, & *Contagioſi*, λοιμώδεις in ſpecie *Hippocrati* dicti; qualis eſt ipſa Peſtis, & nonnullis annis Dyſenteria; talis item olim fuit ἱδρωπύρετος, ſudorifica Febris, Brittanniæ noſtræ præcipue infeſta: interdum tamen μὴ λοιμώδεις, *non peſtilentes*; ut Dyſenteria popularis, Tuſſes, Ophthalmiæ, aliiq; ab *Hipp.*

in Epidem. commemorati, qui ſub Diſperſorum ſpecie plurimum graſſantur in vulgus; ſive ex prava victus ratione, ſive communi aeris vitio ortum duxerint. Vel Ἐνδήμιοι, *Endemii* ſive *Vernaculi,* qui certum aliquem locum & regionem ſemper infeſtant; ita Phthiſis familiaris eſt Luſitanis, Struma Hiſpanis & Alpinis, Hydrocele Galliæ Narbonenſi, Scorbutus Belgio, Daniæ, Norvegiæ & omnibus maris Balthici accolis: & omnes quidem ex aeris (forſan & aquarum) gravitate nati. Ita etiam Plica illa prodigioſa, qua capilli capitis, ceu glutine quodam inviſcati atq; connexi, mire contorquentur, & invicem complicantur, Sarmatis & Polonis peculiaris dicitur. Quo loco, clarioris diſcriminis ergo, adnotandum eſt, ad morbum *Endemium* ſive *Regionalem,* quo ſic proprie dicatur, requiri *Conditiones quatuor.* Prima eſt; *ut ſit in illa regione, cui attribuitur tanquam vernaculus, quam in ulla alia frequentior.* Perpetuo enim ſupponitur morbus vernaculus diverſas regiones inæqualiter reſpicere; unamq; magis (illam ſcilicet cui adſcribitur) aliam vero minus infeſtare. Secunda, *ut ortum ducat ab aliquali loci inclementia, ſive inſalubritate.* Alias ſiquidem improprie, immo injuſte nuncupatur vernaculus. Tertia, *ut regionis inclementia incolis omnibus adeo communis ſit, adeoque gravis, ut cautiores etiam, eoſq; qui debitum locoq; appropriatum ſanitatis regimen obſervant, invadat.* Quippe alioquin non regionis vitio, ſed erroribus in ſex rerum Non-naturalium uſu commiſſis potiori jure adſcribendus eſt. Quarta, *ut inſalubris iſta regionis conſtitutio aliquandiu permanens*

nens ſit, & durabilis, aut ad minimum frequenter recurrens. Vitium enim loci, quod cito fugax eſt, nec ſæpius recurrit, ceu extraneum quid, mereq; adventitium reſpectu regionis habendum eſt; ac proinde morbum proprie non denominat Patrium. Quocirca Febris Ungarica, & ſudorifica febris Anglica (quam ἱδρωπύρετον nonnulli dixere) licet ab iſtis regionibus reſpective nomen ſortitæ ſint; minus proprie tamen hodie vernaculæ dicuntur, cum careant durabili fomite in iſtis locis perſiſtente, & cum vel jamdudum plane ceſſarint, vel ſaltem non magis heic aut illeic, quam alibi impræſentiarum dominentur. Quemadmodum ſolertiſſime diſſerit *Cl. Gliſſonius, in lib. de Rachitide, cap.* 19. Σποράδες vero, ſive *Diſperſi* dicuntur, qui ſpecie inter ſe differentes, eodem tempore plures homines ejuſdem regionis incolas adoriuntur & occupant; tales ſunt Pleuritis, Ophthalmia, Angina, &c. in eadem urbe vel regione ſimul graſſantes; qui quidem non ex communi quadam cauſſa, ſed ex uniuſcujuſq; proprio vitio, ſive apparatu morboſo proveniunt.

10. Ratione *TEMPERAMENTI* corporis affecti, morbi alii dicuntur naturæ Cognati; qualis eſt Feb. ardens hominibus calidiori temperamento præditis: alii Remoti, ſeu minus cognati, qualis eſt Cauſus reſpectu eorum, qui temperamentum habent frigidius.

11. A *SEXU*, morbi alii ſunt *Virorum*, ut Priapiſmus, & ignavia Phalli: alii *Fæminarum*, ut Abortus, procidentia uteri, menſium ſuppreſſio, &c.

12. Ab *ÆTATE*, alii morbi ſunt *Pueris* proprii, ut Rachitis; alii *Juvenum*, ut Feb. ardens; alii *Senum*, ut Apoplexia: de quibus omnibus conſulendus eſt *Hippocrates*, 3. *Aphor*. 24, 25, 26, *& ſequentibus uſq; ad* 31.

13. Ratione *SUBJECTI*, morbi alii ſunt *Interni*, qui interiora corporis occupant; ut Ulcus pulmonum: alii *Externi*, qui externas partes, viſuiq; obvias poſſident; ut Lepra & Scabies: alii *Particulares*, qui tantum in unam partem, vel partes aliquas inſident; ut Pleuritis: alii *Univerſales*, qui univerſum corpus obſident; ut Febris.

Ex-

Digitized by Google

Exercitatio IV.

De variis Cauſſarum Morbificarum differentiis.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Argumenti* εὐκαιρία. 2 *Morbo neq; Materiali cauſſa opus eſſe, nec Formali, nec Finali : ſed tantum* Efficiente. 3 *Efficientium cauſſarum Diviſio prima in* Congenitas, *&* Adventitias. 4 *Subdividuntur* Congenitæ *in* Naturales, *&* Præter-naturales. 5 *Diſtrahuntur item* Adventitiæ *in* Externas *&* Internas ; *quarum* Priores *vel* Neceſſariæ *ſunt, vel* Contingentes : Poſteriores *autem vel* Solitariæ, *vel cum aliis* Conjunctæ. 6 *Secunda diviſio Efficientis in* Principem *&* Miniſtram : 7 *Item in* Procatarcticam, *quæ diſcernitur ab* Evidente ; 8 Antecedentem, *quæ ubi morbum proxime attingit, dicitur* Conjuncta ; *&* Synecdochice Antecedens, *ubi remotè :* 9 *Et Continentem, quæ cum materia conjunctorum morborum propria eſt.* 10 *Efficientium porro aliæ morbum* Per ſe *producunt ; aliæ* per Accidens : 11 *Aliæ deniq;* Poſitivæ *ſunt, aliæ* Privativæ.

1. PRoximum his videtur, ut quibus ex *Cauſſis*, quæcunq; demum eæ ſint, & *quomodo* unumquodq; è numeroſis illis, quæ modo deſcripſimus, morborum Generibus & Differentiis, in corpore humano producatur, ſerio & quantum ferat rationis noſtræ imbecillitas ; dilucide ediſſeramus. Scire enim, ut belle norunt omnes, eſt per originem cauſſaſq; ſcire: maximaque Pathologiæ tum certitudo, tum utilitas (quippe abſq; cauſſarum morbificarum cognitione, Medico neq; morbos præcavere liceat, nec genitos tollere) in Αἰτιολογίᾳ potiſſimum conſiſtunt.

2. A *Philoſophis* quidem, qui rerum omnium in vaſtiſſimo hocce Naturæ theatro ſe offerentium contemplationi ſedulo dant operam, ſcientiæq; comparandæ inſudant indeſinenter, Quatuor Cauſſarum Genera ſingulis Effectibus conſultiſſime conſtituuntur : *Materia* ſcilicet, *Forma*, *Efficiens*, atq;

atq; *Finis.* *Medicis* vero, ubi in Affectuum p. n. corpori noſtro inſidentium, illiuſq; ad vitæ perfectionem neceſſariis functionibus quomodocunq; inſidiantium, inveſtigatione notitiaq; verſantur; ſufficiant pauciora. Nam cum Morbi eſſentia in Diatheſi quadam, ſeu Diſpoſitione vitioſa, qua una vel plures è corporis partibus, in actionibus ſuis debito modo perfungendis impediuntur, deq; optimo ſtatu detruduntur, penitus radicetur; heinc perſpicuum eſt, poſſe eam ſine *Materiali* cauſſa exiſtere; niſi ipſummet illius ſubjectum, corpus nempe humanum, in quo is inſidet (quemadmodum & in ære hominis aut equi effigies) pro ejuſdem materia cuiquam placuerit accipere. Non enim (quo decepti fuerunt quamplurimi) vitioſus humor ſubjecta eſt morbi materia; quanquam Efficiens illius dici quodammodo poſſit. Deinde, per Formam morbi, præter ſpeciem illius peculiarem, dicto ſubjecto impreſſam inductamque, ſeu determinatam diſpoſitionis partium pravitatem (quæ ipſam morbi ideam unice conſtituit) aliud nil quicquam venit intelligendum; ut luculenter conſtet exinde, Cauſſam quoq; *Formalem* in morbis nuſquam reperiri poſſe. Et de *Finali* etiam idem prorſus ſentiendum; quoniam Finis morbi tantum eſt actionum læſio & interitus, ſeu (ut aliis viſum eſt) aptitudo ejus, qua actiones lædere natura ſua comparatur: ideoq; non re quidem, ſed ſola mentis noſtræ cogitatione, ab ipſo morbo differt. Reſtat itaq; duntaxat *Efficiens*, quæ quia corpus immutando, deq; ſanitatis ſtatu deturbando, eidem morbum inducit; ideo pro Cauſſa omnium præſtantiſſima

tiſſima & principe apud Medicos merito debet reputari. Hujus igitur differentias atq; vires perſcrutari nos jam accingimus.

3. Humanum Corpus, licet eſſentiæ prorſus immutabilis ac immortalis, Animæ nimirum rationalis, domicilium ſit atq; inſtrumentum; ex ſua tamen natura facile mutabile exiſtit, variiſq; obnoxium infirmitatibus, morti etiam ipſi denuo cedit; quæ magnificam vereq; admirandam Organorum illius conſpirationem & harmoniam, unico quaſi ictu peſſundat atq; diſſolvit, totamq; fabricam in principia, ex quibus erat primitus conſtituta, ſenſim diſpergit. Ratio autem, quur hæc Corpora noſtra adeo ſint fragilia, adeo caduca; ex integro videtur in hoc conſiſtere, quod mutabilia ſunt: Interituſq; vitæ, ut ut quoad varietatem fermè infinitæ, in eo tamen convenire cenſeantur omnes, quod ad Elementorum, quibus conſtamus, temperamenti ac determinatæ ſymmetriæ ejus, à qua neceſſario dependet vita, corruptelam ruinamq; omnimodam, aliæ citius quidem, aliæ tardius conducunt. Si ſummi Creatoris ſapientiæ viſum fuiſſet, aut Corpora noſtra ex ſimpliciſſima quadam, corruptionique minime obnoxia materia (qualem Cœlorum eſſe propriam ſibi precario imaginantur *Ariſtotelei*) conſtituiſſe; aut tam firmo æternumq; duraturo glutine materiæ hujus, ex qua nunc corporamur, particulas inter ſe conjunxiſſe, ut eaſdem ab invicem diſſociare diſpergereque, in nullius cauſſæ inferioris poteſtate foret ſitum: tunc certe nec ævi diuturnitate, nec morbi ullius ſævitia, ſanitas noſtra

noſtra unquam labefactari potuiſſet; hominumq; primus, ſicut ex nihilo recens productum, vixq; adhuc ſatis perfectum viderat hunc Mundum, ita & eundem ſenio jam prope confectum, adq; interitum tandem feſtinantem, ſemper juvenis ſummoq; vigore præditus vidiſſet. At vero, ut nobis à natura nunc comparatum eſt, tenuiſſimo ſuſpenditur vita filo; nec fieri poteſt, quin omnibus in lucem editis ſit ſerius, aut citius moriendum. A ſeipſo enim Corpus noſtrum, & ab inſitis principiis, civile inter ſe gerentibus bellum, per ſingula momenta concutitur atq; conteritur; nedum variis externarum injuriarum incurſionibus, tanquam procellis, undiq; laceſſitur. Heincq; morbos *Efficientium Cauſſarum* duo ſuboriuntur ſumma primaque Genera: *Aliæ* nempe *Inſitæ* ſunt nobis & Congenitæ, quas ab ipſo jam ortu accepimus; Aliæ *Adventitiæ,* quæ in nos jam editos extrinſecus invadant.

4. *Priores* rurſus in *Naturales,* & *Præter-naturales* genuine diſtrahuntur. Sub *Naturalium* cenſu cadunt primordiorum, ex quibus conſtamus, inquietudo ac repugnantia perennis; & Flammulæ noſtræ vitalis continua voracitas, quæ tametſi nos miſellos, quoad vita fruimur, foveat, calefaciat, tueatur, & Laris inſtar familiaris, conſervet; nos tamen etiam temporum ætatumq; decurſu ſenſim depaſcitur, immutat, tandemq; conficit; alios quidem ocius, ſegnius alios, ut ſua cuiq; ſtata eſt vitæ periodus, quam quotuſquiſq; eſt, qui naturæ legibus attingit? Adeo verum eſt, quod in *Oecon.*

noſtr.

Digitized by Google

noſtr. Animal. Exercit. 1. apertius diximus; idem nempe nobis ineſſe & vitæ principium, & mortis. Spectat autem *Præter-naturalium* Claſſis ad morbiferos eos Characteres, qui nobis â Parentibus, una cum materia ſpermatica, ex qua prima corporis rudimenta ſumus mutuati, profunde velutiq; medullitus impreſſi fuerint. Quocunq; enim morbo, modo inſignis ſit & Chronicus, è parentibus utervis, dum generat, tenetur; eum, mediante principio prolifico, tanquam per contagium, transfert in prolem. Maxima igitur ortus noſtri vis eſt, nec parum felices ſanis parentibus enati.

5. Ex Adventitiis autem, alia *Externa* eſt, alia *Interna*. Externa, quæ extrinſecus adveniens morbo originem præbet: eſtq; vel *Neceſſaria*, vel *Contingens*. Externa *Neceſſaria* eſt, quæ ex rerum ad vitam neceſſariarum una aliqua vel pluribus ortum habet: in quibus ſunt Aer, quem inſpiramus, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & vigilia, quæ excernuntur aut ſubſiſtunt, & Animi Pathemata; quæ proinde *Res Non-naturales* Medicis vocari obtinuerunt. *Contingens* vero, quæ non neceſſario quidem, ſed mere fortuito nobis contingit ferenda; cujus generis ſunt gladii ictus, ruentis lapidis & beſtiarum occurſus, omniaq; fortuita corpori vim inferentia. Harum impetus cæci nec arte prævideri poſſunt, nec cautione declinari: Illæ vero poſſunt, ideoq; in earum obſervatione Ars noſtra verſatur. *Interna* Adventitia eſt, quæ intrinſecus corpori ejuſve contentis adhærens, ibique genita, morbos efficit: hæcq; porro eſt vel

Solitaria, quæ ſola & propria vi morbum inducit; vel *cum aliis Conjuncta*, cujus exemplum eſt Cacochymia; quæ â diætæ erroribus exorta, cum obſtructionibus & putredine quaſi conſpirans Febrim parit.

6. Porro, Cauſſa Efficiens eſt *Princeps*, vel *Miniſtra*; deindeq; *Procatarctica*, *Antecedens* vel *Continens*, de quibus ſigillatim pauca.

Cauſſa *Principalis* eſt, quæ varias inter cauſſas ad producendum morbum conſpirantes energiam obtinet primariam; ut Putredo in Febre putrida. *Miniſtra*, Συναιτια, ſive Concauſſa, quæ ſola quidem nihil efficit, ſed Principali ad efficiendum ſubminiſtrat, & adjumenta affert; ut obſtructio viſcerum non nihil ad ſcorbuti (cujus cauſſa principalis in Miaſmate quodam peculiari conſiſtere videtur) generationem confert.

7. *Procatarctica*, quæ latentes prius in corpore cauſſas excitat & movet, ſive ſit in corpore, ſive forinſecus adveniat, undeq; morbus primo producitur; ut Ira vel æſtus aeris Cacochymiam movens, febrimq; inducens. Hujuſmodi cauſſas Hippocrates olim προφάσεις, Occaſiones nominabat, & merito quidem: quanquam enim manifeſte & ad ſenſum evidenter corpus noſtrum afficiant; ſuapte tamen natura vehementem morbum producere non ſufficiunt, ſed ſi in corpus Cacochymicum, & morboſam παρασκευὴν habens, inciderint, illud mox in morbos conjicere, anteaq; latentem affectionem quaſi manifeſtare poſſunt. Unde perſpicuum fit,

Digitized by Google

ſit, manifeſto differre Procatarcticas â φανερᾶς, ſeu *Evidentibus*. Etſi enim omnis cauſſa Procatarctica ſit ſimul evidens & manifeſta: non omnis tamen cauſſa Evidens Procatarctica appellari ſuſtinet. Nam ex Evidentibus haud paucæ ſunt, quæ morboſam aliquam προδιάθεσιν, ſive prædiſpoſitionem, non requirunt; ut Gladius eſt cauſſa manifeſta vulneris, Lapſus & Percuſſio fracturæ; ſed non eſt Procatarctica.

8. *Antecedens*, Græcis προηγουμένη, eſt prævia quædam in corpore latens & abdita diſpoſitio, ortum ex alia ducens, quæ morbum antecedit, eumq; producere apta eſt nata; ita tamen, ut eâ poſitâ morbus neceſſario non ponatur (tolli enim poteſt, antequam ex ea naſcatur morbus) & eâ ſublata morbus ſemel genitus poſſit perſeverare: ut Plethora vel Cacochymia â diætæ vitiis exorta, unde inflammatio vel obſtructio in alicujus partis meatibus originem ducat. Hæc autem Cauſſa ſolis morbis cum materia conjunctis propria eſt: Porro morbum vel proximè attingit, & *Conjuncta* vocatur, ut intemperies alicujus partis frigida, quæ parti vicinæ ſimilem intemperiem imprimit: vel remote, & tunc *Synecdochice* nominatur *Antecedens*; ut Plethora reſpectu Phlegmones, mediante ſanguinis affluxu ac ſtagnatione inductæ.

9. *Continens* eſt, quæ cum morbo cohæret, ejuſq; eſſentiam continet, atq; eâ poſitâ neceſſario ponitur morbus, ablatâ tollitur; ac propterea ad definitionem morbi ſemper requiritur: ut Calculus,

qui ex Cacochymia, ab intemperantiori cibi & potus ſale fixativo impraegnati uſu orta, natus, ureterem obſtruit; quo ablato, obſtructio Ureteris ſimul tollitur. Vis aliud Exemplum? Continens cauſſa Phlegmones eſt ſanguis extravaſatus, inq; ſubſtantia alicujus partis hærens atq; putreſcens: hoc autem ablato, & redintegrata ejuſdem Circulatione, mox evaneſcit Phlegmone. Unde indubitato conſtat, non omnes morbos cauſſam Continentem ad ſui generationem deſiderare: ſed eos ſolum, quibus Materia eſt conjuncta. Conſtet præterea, eam eſſe Adhæſionem copulationemq; cauſſarum, ut Continens ex Antecedente, Antecedens ex Procatarctica quaſi defluat; quumq; omnes continuatione quadam & ſerie ſunt connexæ, ordine prima eſt Evidens, poſtrema eſt Continens, quotquot inter has mediæ intercedunt, Antecedentes appellantur. At non omnis morbus tribus ex cauſſis ortum neceſſario adipiſcitur, ſed alias ex duabus, alias ex unica. Exemplo rem illuſtremus. Si ex repentina exercitio jam tum incaleſcentis corporis in aquam frigidam immerſione, putrida Febris accenditur; frigus aquæ eſt cauſſa Procatarctica; cutis adſtrictio indeq; prohibita diaphoreſis, cauſſæ Antecedentes; & heinc exorta putredo, Continens proximaq; cauſſa.

10. Cæterum, præter hactenus recenſitas, ſuperſunt aliæ quædam morbos efficientium Cauſſarum Differentiæ. Earum quippe unaquæq; interdum *per ſe*, interdum *per accidens* corpus de ſtatu ſanitatis deturbat. *Per ſe* quidem, quum propriis in-

inſitiſq; viribus proxime, nulliuſq; interventu id præſtat: ita vinum & Aromata per ſe calefaciunt, & Aqua frigida corpori affuſa id per ſe quidem & proxime, nullius interventu refrigerat. *Ex Accidente* vero è contra, quum non propriis viribus, ſed alterius interventu, opus efficit & edit: quomodo Aqua frigida, dum cutis ſpiracula contrahendo condenſandoq; fervidos ſanguinis halitus foras erumpentes intro repellit, in cauſſa eſt, ut univerſum corpus incaleſcat, intus cohibitis, & ſanguini turgeſcentiam febrilemq; efferveſcentiam inducentibus effluviis illis ſulphureis, quæ per diaphoreſin debent continuo explodi.

11. Poſtremo, ex cauſſis Aliæ dicuntur *Poſitivæ*, Aliæ *Privativæ*. *Priores* ſunt, quæ ſua præſentia aliquem effectum ſibi conſimilem, corpori autem noxium producunt: quemadmodum Aqua frigida eſt cauſſa poſitiva frigiditatis. *Poſteriores*, quæ abſentia ſua effectum ſibi diſſimilem & contrarium edunt: ut influxus vitalis ex partibus alicui denegatus, cauſſa eſt, ut ea calore fotuq; deſtituta infrigidetur. Atq; hæc quidem de Cauſſarum morbificarum Differentiis in genere ſufficiant.

Ex-

Exercitatio V.

Quomodo ambiens Aer Sanitatem noſtram obterat, Morboſq; inferat varios.

ART. 1 *Argumenti hujus cum proxime præcedenti* connexio *methodica.* 2 Aeris *ad vitam* Neceſſitas: *Et* 3 Uſus *in Animalibus ſanguineis.* 4 *Qua ratione, quotque modis immutentur corpora noſtra ab aeris intemperie* Calida; 5 Frigida; 6 Humida; 7 Sicca 8 *Quænam morborum genera oriantur ex* inquinamentis alienis *corrupto aere.* 9 *Vitia aeris ab Anni temporum tempeſtatumq;* Anomaliis *profluentia.* 10 *Quomodo ſanitati incommodet aer ratione ſubitæ ſuæ inſolentiſque* Mutationis. 11 *Quomodo item ratione affectionum malignarum ab* Aſtris *demiſſarum.* 12 *Et quomodo deniq; ratione* Motus *inconvenientis.*

1. CAuſſarum morbo[illegible] Efficientium, quæ forinſecus corporibus noſtris obtingunt, quarumq; vires nobis ſunt neceſſariò ferendæ, Claſſem integram ex *Sex rebus Non-naturalibus* vulgo dictis conſtare, in capite ſuperiori diximus. Quoniam autem ab Univerſalibus ad Particularia ratiocinando omnis oritur Scientia; & conſilii noſtri Pathologici ratio â nobis id exigit, ut â Generali Cauſſarum morbificarum recenſione, ad earundem contemplationem particularem, repetito ordine progrediamur, quo quibus ex cauſſis ſpeciatim ſingula morborum genera ſuam ducant originem, denuo perſcrutemur: Propterea nunc dicendum eſt, qua ratione, & quot modis unaquæq; ex iis, quæ ſub dicta Claſſe comprehenduntur, corpus noſtrum immutare, morbumq; excitare poſſit. Et ab ambiente quidem *Aere* exordiendum; utpote qui in τῷ ἔξωθεν προσπιπτόντων, ſeu rerum foris incidentium genere, primum ſibi vendicat locum.

2. Hujus

2. Hujus tanta eſt ad ſuſtentandam Biolychnii flammulam, in Cordis ſacrario perenniter micantem, neceſſitas, tantaq; dignitas, ut præſtantiorem hominis partem Latini Animam, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, â vento ſeu aere, & Græci ψυχὴν ἀπὸ τοῦ ἀναψύχειν, quod aeris proprium eſt, voluerint deductam: Et ab eadem fortaſſis mente *Varro* Animam definierit *Aerem ore conceptum, tepefactum in pulmone, fervefactum in corde, diffuſum in corpus.* Cæterum hic Aer, ut ζωῆς αἴτιον, vitæ cauſſa quodammodo digne reputetur: Ita & interdum ἀποθνήσκειν ποιεῖ, Mortis exiſtit auctor, ubi â nativa ſua & ad vitam conſervandam requiſita ſalubritate deſciverit. Si is enim bene conſtitutus Animalium omnium, maxime quæ donantur organis reſpirandi, vitam tuetur ac conſervat, cur male conſtitutus eorundem vitæ pariter non incommodet? Illinc ſane, agente ſpiritu vitali, prima eſt vitalis auræ in ſanguine Embryonis accenſio; illinc continua ejuſdem in lucem videntibus Micatio & ἔκλαμψις; & illinc quoq; haud raro extinctio & interitus. Vitia autem, quibus correptus Aer, ſuaq; puritate exutus, nobis reddi ſolet inſalubris ac infenſus; in illius vel Qualitatum immoderatione, vel ab alienis inquinamentis corruptione, vel Anomaliis ſive Mutationibus ſubitaneis; vel inconvenienti deniq; Motu, conſiſtere videantur. Hæc itaq; particulatim expendamus.

3. Prius tamen breviter animadvertendum eſt, Aerem ab Animalibus ſanguine præditis in pulmones

Digitized by Google

mones inſpirando attrahi excipique, in eum potiſſimum finem, ut is ſanguinem, dum pulmonum vaſa, cordiſq; ventriculos perenni circuitu pertranſit, ſubtiliando & quaſi rarefaciendo, eum nutriendæ Flammulæ vitali magis accommodum reddat; idq; quidem non frigiditate ſua, ſed partim ſubſtantiæ tenuitate, partim vehementia motus: conſimili prorſus modo, quo per folles inſufflato aere, flamma in lignis promptius accenditur; ut in *Oecon. Animal. Exercit.* 8. dilucide deditaq; opera demonſtravimus. Hoc enim conſtituto, mente deinde facilius comprehendamus, qua ratione, quibuſq; modis, idem aer uſui dicto incongruus evadat & inidoneus. Expedit igitur ſciamus, Aerem morborum fieri opificem,

4. Primò, *Qualitatum ſuarum Immoderatione*; quando nimirum is vel Calore, vel Frigore, vel Siccitate, vel Humiditate fuerit intemperatus. Et ejus quidem intemperies *Calida* ſulphureas, promptiuſq; inflammabiles ſanguinis particulas (ex quibus ſpiritus conficiuntur vitales) cito nimis, quamq; par eſt copioſius inflammat accenditque: eoq; nomine ſanguinem primo ipſum, deindeq; univerſum corpus calefacit; diſſolvit, liquat, attenuat, denuoq; adurit. Hincq; contingit, quod in regionibus fervidis & æſtuoſis, in locis Auſtro ſoliq; expoſitis, in Æſtate ignea & torrida, in auſtrino Cæli ſtatu, Spiritus noſtri inflammantur, ſanguis & humores reliqui ardoribus extorrentur, Bilis augetur & exacuitur: iiſq; ex cauſſis Morbi quamplurimi, hiq; ſæpe Acuti, ſuſcitantur. Sed & aliter

quoq;

quoq; ſanitati affert nocumenta; poros quippe reſerando, ſeq; in corporis penitiora ſubtiliter inſinuando, membra laxat & extenuat; eorumq; ſubſtantiam (abſumpto diſſipatoque, quo ſingulæ partes continuo inſtaurari ac refici deſiderant, nectare Nutritio) ſenſim exhaurit; & ſi diutius perſeverarit, ſenium mortemq; præpropere acceſſit. Quinetiam, ubi impenſius fervet, Lipothymiam, Syncopen, imo vero nonnunquam repentinam mortem inducit; ſicut in eis videre eſt, qui ex vehementiori Balneorum, furnorum, cryptarumve ſulphurearum æſtu ſupra modum incaleſcentes excandeſcenteſque, animo deficiunt, animam quoq; ipſam, ni maturius ſubmoveantur, efflare jam parati. Quod exinde reputemus contingere, quod ex inſpirati, inq; præcordia cum impetu irruentis aeris ardore diſſipantur confeſtim & extinguuntur Spiritus vitales, vitæ conſervatores. Quemadmodum enim aer temperatus ad horum generationem accenſionemq; in cordis ventriculis maxime facit: ita idem intenſiori calore perfuſus, eoſdem citiſſime & unico quaſi momento diſcutit, profligat, deſtruit; unde tum ſanguinis micationem, tum cordis motum illico intercipi, mortemq; ipſam mox ingruere neceſſum eſt.

5. *Frigida* vero, è contra, ut ut ſanioribus quidem, Herculeaq; corporis firmitate gaudentibus amica exiſtat; quia ſcilicet nedum ſpirituum vitalium accenſionem, diſperſionemque, quam par ſit profuſiorem, ſanguinem aliquatenus incraſſando, prohibet; ſed & membrorum quoq; ac viſcerum

ſubſtantiam & contexturam denſando firmandoque, univerſi corporis robur conſervat & auget, appetitum exacuit, coctiones tum publicas, tum privatas promovet & accelerat; iiſq; de cauſſis vitam longiſſime protrahit: Infirmis tamen, minuſq; proſpera utentibus valetudine haud parum ſolet incommodare. Spiritus quippe quaſi conſopiendo ignavos reddit ac torpidos, eorumq; motum expanſivum (Fermentationis vitalis in ſanguine efficiens primarium) haud ſegniter retundendo, ſanguinem incraſſat, eoq; nomine Obſtructiones, Tumores, alioſq; chronicos affectus, ex incraſſato, & inter circulandum alicubi ſtagnante ſanguine oriundos progignit. Cerebrum deinde, Medullam ſpinalem, & Nervos ex iis enatos infirmando; ſucci Nutritii tum elaborationem, tum â ſero ac phlegmate depurationem, tum in ſingulas partes eodem nutriendas diſtributionem impedit: unde Deſtillationes, Cachexiæ, Spaſmi, Paralyſes, aliiq; id genus morbi haud raro exoriuntur.

6. *Humida* craſſos & tenebricoſos facit ſpiritus, corpus multo humore ſupervacuo onerat, partium nervoſarum tonum relaxat, & debilitata coctione cruditates accumulat: Unde Rheumatiſmi, Febres putridæ, ulcera fœtida & curatu difficillima, & Phthiſes frequenter profluunt; hæcq; præcipue cauſat, ubi illi aſſociatum fuerit frigus: ſin vero adfuerit Calor, putredines & humorum & partium ſolidarum inducit, membraq; mollia ac laxa reddit, & expedite obeundis vitæ muneribus inepta.

7. *Sicca*

Digitized by Google

7. *Sicca* denique, licet ſpiritibus puritatem limpiditatemvè conciliet, ſanguinis tum fermentationem, tum circulationem promoveat, eumq; â putredine tueatur, humiditates ſuperfluas abſumat, & corpora dura, ſolida, fortiaq; efficiat, articuloſq; corroboret: quoniam tamen illa, ſuccos abſumendo, indurat, humoreſq; craſſiores & minus fluidos reddit, Obſtructionum eſt opifex; & ſi Caliditatem ſibi pro comite habeat, ſanguinem adurit, & Bilem retorridam generat. Et hi quidem Modi ſunt, quibus Aeris Intemperies morborum cauſſæ fiunt.

8. Secundo, ratione *Corruptionis ab inquinamentis alienis:* Ipſa enim Aeris ſubſtantia quum minime ſimplex ſit, nihilq; aliud eſſe videatur, quam minutiſſimorum Effluviorum partim â ſole cæteriſq; ſyderibus deradiatorum, partim è globo noſtro terraqueo continenter exhalatorum, contextura quædam; lanuginis inſtar, Terræ globum, ad vix plurium milliarium craſſitiem ſive altitudinem contegens & circumveſtiens: ita utiq; conſtituta eſt, ut multa inquinamenta, tanquam ſparſa morborum ſemina, alias ex inferioribus, alias è ſuperioribus facile poſſit in ſua vacuola excipere; eademq; corporibus noſtris mox imprimere. Ex Inferioribus quidem, velut è ſtagnis, paludibus vel lacubus fætidis ac putridis; è quibus confertim expirantes vapores ambientem permiſtione polluunt. E terra gravi, & ſulphureis, bituminoſis, arſenicalibus, & id genus aliis ſpiritibus inquinata;

ex antris, ſpecubus, aut barathris, poſt diuturnam clauſuram apertis, graves interdum expirationes in aera tolluntur, nobis plurimum infenſæ. Item Animalium, maxime vero Hominum non ſepulta ex bello cadavera, reſervata illorum Excrementa, evulſæ ſtirpes venenatæ, aliæq; ſordes compu-treſcentes, plerumq; aeri morbidas ac exitiales offenſas inducunt. E ſuperioribus vero in aere contingunt affectiones Duplices; Aliæ nimirum ſunt Qualitatum exuperantiæ, vel inæqualitates ex temporum tempeſtatumq; mutatione (ex quibus putredines inſignes:) Aliæ autem Miaſmata, ſeu ſeminia quædam peſtilentialia, eo cœlitus demiſſa; quæ uſq; adeo occulta ſunt, cæca, & â ſenſibus aliena, obſcureq; adeo & furtim invadunt, ut nunquam niſi effectibus & eventis deprehendi poſſint; nec de eorum origine plus ſciri poſſe arbitramur, quam quod â determinata quadam permiſtione nexuq; ſyderum exoriantur. Hincq; manifeſtum fit, Tria ex aeris corruptela fieri communium morborum Genera: *Endemium*, â terrenis inferioribuſque expirationibus; *Epidemium*, â vehementi temporum tempeſtatumq; mutatione; *Peſtilentem*, â malignis, venenatis, vitæq; ſumme exitialibus Miaſmatis, quæ vel è ſublimi ſunt demiſſa, vel in ipſo aere genita, quæq; una cum aere, quem ſpiritu ducimus, permanant corpora noſtra, & fermento ſeminali tum ſpiritus, tum humores, ſuo quæq; modo contaminant, & varios, eoſq; utplurimum contagioſos ac peſtilentiales morbos proferunt.

9. *Tertio*

9. *Tertio* ratione *ſubitæ inſolentiſque Mutationis*, ſive iſthæc ab annuis, menſtruiſvè tempeſtatibus proveniat; ſive â Locorum mutatione; ſive ab inſuetis Syderum configurationibus. Quoad Aeris ex variis *Anni temporum tempeſtatumq; conſtitutionibus* alterationes; advertendum eſt, quod humani generis ſaluti ac ſanitati nihil magis officere ſoleat, quam inſuetæ velutiq; ex improviſo ferientes aeris μεταβολαὶ, maximè ubi hæ irregulares fuerint, & reſpectivis anni temporibus ingenuinæ. Idq; haud injuria quidem contingit, verum ex neceſſitate. Quum enim omnis mutatio ſubitanea ſit periculoſa; temperamentaq; noſtra tot modis diverſis afficiat aer circumambiens & inſpiratus, quot is ipſe alterationes ex vario Cœlorum motu, ex inſignium ſyderum ortu & occaſu, ex ventorum aliorumque ad Meteororum claſſem ſpectantium converſione, paſſus eſt; quemadmodum, præter *Hippocratis* auctoritatem, diuturna omnes apud gentes experientia compertum eſt, & comprobatum: vix fieri poteſt, quin haud pauca morborum genera toties in vulgus paſſim invehantur, quoties temperamentum ſingulis è quatuor ſuis temporibus, ex ordinaria Naturæ lege peculiariter accommodatum non obſervarit Annus; ſed immodicos valdeque intempeſtivos produxerit caloris aut frigoris, ſiccitatis aut ſqualoris exceſſus. Et Cauſſa quidem generalis aſſignatu perfacilis eſt; nempe quod ex contrariis in contraria, atq; etiam ex humidis in calida aut frigida, gravis ſemper periculoſuſq; tranſitus ſit.

10. (2) Quoad

10. (2) Quoad *Locorum* mutationem; obſervatu dignum eſt, quod non ſolum aeris, ſed & Hominum etiam temperationes, juxta regionum & locorum ſitum, aliæ atq; aliæ ſint. Hinc morbos haud raro affert in oras longinquas peregrinatio; quod unicuiq; regioni, ex ſoli & aquarum natura, item ex ventis ἐπιχωρίοις, ſeu regionalibus, peculiaris ineſt conſtitutio, ſuaq; proprietas, cui noviter advenis non facile ſit aſſueſcere. Id quod damno ſuo ſæpe ſunt experti, qui novas & â patria longe diſſitas terrarum regiones peragrarunt; præcipue vero ubi conſtitutiones locorum, in quæ ſe contulere, admodum diverſæ fuerunt ab iis, â quibus receſſerant. Exemplo inſigni ſint Angli, qui primum Virginiam in novo orbe incolebant; hi enim fere omnes tumore Abdominis & Hypochondriorum, ex cœli ſoliq; incongruitate, graviter afflicti; illic commorantes,ne minimam quidem ex præſidiis vel generoſiſſimis ſentiebant opem; at in patriam denuo recepti, mox quàm facillime curabantur. Sed & quæ ex coarctato concluſoq; in liberum perflabilemq; aerem vel ſaluberrimum fit mutatio, imbecillioribus, & his qui ex morbo aliquo graviori nondum integre convaluerint, magno ſolet eſſe detrimento. Nam aperto patefactoq; per calorem corporis habitu, ſi frigus improviſum ſuperveniat, altiſſime illud per poros inſinuatum, circulationem ſanguinis, eum incraſſando, impediat; & diaphoreſin, quæ undiq; libera eſſe debet, intercipiendo, fomitem materiamq; novi morbi colligat. Contra vero, ſi corpus â præcedente frigore fuerit clau-

ſum;

ſum; repentinus calor, ſpiritus humoreſq; ſubito ac vehementer agitando, dum arteriarum halitus exitum per occulta cutis ſpiracula non invenerint, corpus ſummopere labefactat; morboſq; ex putredine ſanguinis enaſci aptos progignit.

11. (3) Quod ad Aeris affectiones ab *Aſtris* inductas attinet; quum ſcitiſſimum ſit, Solem eſſe cauſſam lucis & caloris; acceſſuq; & receſſu ſuo inducere feriem ac viciſſitudinem tempeſtatum anni; procreare plantas & Animalia, ſpecialiterq; Hominem generare cum homine; ac excitare ex terra fumos, qui concreſcant in nubes, abeant in ventos, aliaq; id genus meteora: item Lunam complere & evacuare Conchylia, oſſaq; Animalium; ac plurimum poſſe in res omnes humidas, ac in Mare potiſſimum, cujus Acceſſus & Receſſus ad ejus motum phaſeiſq; varias contemperantur: dari quin etiam effectus quoſdam, qui ad alias cauſſas, quam ad Sydera revocari non poſſint, cujuſmodi ſunt morborum Criſes, inæqualitates tempeſtatum, peſtilentiales annorum Conſtitutiones, &c. Quum hæc omnia ita ſe habeant, inquam, quidni credamus, ex variis eorundem ſyderum motibus, ortu & occaſu, configurationibus, ac influentiis, Aerem varias pariter ſubire mutationes, quibus hominum temperamenta diverſimode afficiantur, quæq; alias mitius, alias ferocius in noſtra agant corpora? Et quemadmodum *Frequentiores* inſignium Syderum commiſtiones nexuſq; cœlum nunc inconſtantis, nunc intemperatæ, alias pluvioſæ, alias æſtuoſæ, &c. conſtitutionis reddere ſolent;

Nam ut alia horum conſpiratio imbres, alia ſerenitatem; alia Auſtrinam, alia Aquiloniam, aliamve tempeſtatem movet: ita ſane fatendum, quandam obtingere, quæ aeri peſtilentiam immittat. Utq; multa ſunt Peſtilentiæ genera; ita uniuſcujuſq; peculiarem quandam eſſe commiſtionis rationem & propriam cauſſam, quæ diverſimode in aerem, atq; in nos debacchetur, pro mitiori ſæviorive veneni genio.

12. (4) Ratione *Motus inconvenientis*; efficit enim impetuoſa ventorum incurſio, ut aer altius in poros cutis impulſus, quas in ſe habuerit vel è terris, vel è cœlo derivatas qualitates profundius in penitiores corporis partes humoreſq; invehat imprimatque: uti experimur in flatu aeris in cutim flabello acti. E contra, *Tranquillus* aer, nulla ventorum vi agitatus, etſi mitis ac lenis appareat; requietæ tamen ſtagnantiſq; aquæ more, corrumpitur; unde putridi ac contagioſi morbi originem ſortiantur.

Exercitatio VI.

Qua ratione, quotq; modis Cibus & Potus morborum fiant Materia ac velut ſementis.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Dicendorum* Ordo 2 *Ratio generalis, cur immoderatæ Alimentorum* Facultates *corporis tum humoribus, tum partibus ſolidis imprimantur.* 3 *Quomodo, & ad quænam morborum genera producenda faciant Eſculenta ac Potulenta* Manifeſtis *qualitatibus culpanda* 4 *Quomodo item, quæ qualitatibus infamantur* Occultis. 5 *Varia* Repletionis, & 6 Inanitionis *incumenta.* 7 *Cibandi ἀκαιρία, quemadmodum ſanitati adverſetur.* 8 *Ciborum deniq;* Ordo perverſus, *quæ incommoda adferat.*

1. NOn naturalium ordine, *Cibus* atq; *Potus* poſt Aerem proxime ſuccedunt expendendi; utpote quorum facultates, quemadmodum in conſervanda confirmandaq; hominis ſanitate, ita & in eadem ſubvertenda ſunt aeris proximæ; nec plures, aut graviores ab hujus, quam ab illorum vitiis exoriuntur Morbi. Nam

Materiam lethi bibimus; cum veſcimur, ecce,
Pabula quæ vitæ, dant Alimenta neci.
Ipſo mors ſub dente crepat, &c.

Eſculentorum autem & Potulentorum vitia, quæ gignendis morbis pabulum ſuggerunt atq; materiam, ad eorum vel inconvenientes Qualitates, vel indebitam Quantitatem, vel ſumendi Ἀκαιρίαν ſive Importunitatem, vel Ordinem deniq; perverſum genuine poſſunt reduci.

2. Primo, *Qualitatibus* peccant Alimenta, ubi eaſdem, quibus inſigniuntur ipſamet, facultates in-

intemperatas, ſive Manifeſtæ ſint, ſive Occultæ, primo in Chylum, in Sanguinem deinde ac ſuccum Nutritium, eiſq; mediantibus in ipſas partes ſolidas denuo invehunt ac imprimunt; eoq; pacto corpus noſtrum, Medicamenti more, alterant. Quum enim ea ſit Agentis Patientiſq; naturalis conditio, ut, quia materiam communem obtinent, mutuas operas conferant in ſeſe; omneq; Agens agendo non-nihil etiam patiatur ac perferat: quoties ejus, quod in corporis alimoniam aſſumptum eſt, vires nimis validæ ac indomitæ fuerint, nec prorſus ventriculi robore evictæ; neceſſe eſt, ut id unà cum Chylo in venas Lacteas, ductuſq; chyliferos Pecquetianos, indeq; partim cum ſanguine, partim cum ſucco Nutritio, ſingulis partibus delatum, ſuis qualitatibus quicquid attigerit imbuat. Dyſpepta quippe, ventriculiq; viribus infracta, etſi quodammodo ſubacta, inq; ſuccum albeſcentem tranſmutata videantur; non tamen prorſus ſunt extincta, nec priſtinis omnino ſpoliata facultatibus, ſed immoderatæ qualitatis nonnihil manet tum in ſanguine, tum in ſucco alibili, qui quaſcunq; è Chylo conceptas labes partibus ſolidis inurunt. Unde manifeſtum eſt, non modo ſpiritus & humores, quibus conſervamur; ſed & omnem corporis ſingularumq; ejus partium conſtitutionem, pro variis Eſculentorum ac potulentorum facultatibus inſignioribus, diverſimode mutari. Heinc Intemperies, heinc Obſtructio, heinc Cacochymia; quæ graviſſimorum morborum cauſſæ antercedentes continenteſq; fiunt.

Digitized by Google

3. Quoad *Manifeſtas* itaq; Alimentorum Facultates; Cibi & Potus juſto *Calidiores*, dum Chylum ſulphureis, inq; bilem facile faceſſuris particulis præclarè impprægnant, ſanguinem nimis calidum producunt, ſpiritus incendunt, eoq; nomine univerſum corpus excalefaciunt; ut Allium, Piper, aliaq; Aromata, & præcipue Vina Polygophora: unde Febres, aliiq; calidi morbi enaſcuntur. *Frigidiores* vero frigidum ac crudum ſanguinem, ſuæq; naturæ conſentaneos proferunt ſuccos, eorumq; interventu univerſum corpus refrigerant: cujus ſortis ſunt Piſces, Lactuca, Hordeacea, Cerevifia leptomera valdeq; tenuis, &c. quæ Cachexiam, Leucophlegmatiam, Febrem albam, Obſtructiones, aliaq; id genus mala, ex ſpirituum vitalium penuria, ſanguinis Molynſi, ſeu inſida elixatione, ſucciq; Nutritii ad alendum ineptitudine promanantia, ſenſim inducunt. Deinde *Humidiores* efficiunt, ut totum corpus humiditatibus ſuperfluis inundetur; eaq; ratione morbos producunt conſimiles. *Ssicciores* è contra, dum Chylum, quàm par eſt tenuem minus ac fluidam ſuppeditant, geminam illius ſobolem, Sanguinem ſcilicet & ſuccum alibilem, quodammodo incraſſant, figunt, & tum volatilizationi, tum diſtributioni parum idoneos reddunt: unde nutritionis imminutio, ſegnior ſanguinis circulatio, viſcerum ἐμφράξεις, aliaq; ejuſdem farinæ incommoda ſolent infeſtare. *Craſſiores* porro, ut carnes bubulæ (ſalitæ præſertim, ac fumo ſolevè induratæ) panis azymus, Caſtanea, Cerevifia ſeu inſida fermentatione, ſeu frumenti craſſitie turbida, item vina

vina præliganea, ſtyptica & indefæcata, aliaq; alimenta ἀνεπιλήψεια; ἄκρητα καὶ ἰσχυρὰ, craſſum, lentum, fibroſumq; proferunt ſanguinem, qui non niſi ægre per viſcerum anguſtias movetur: unde Obſtructiones, Lienis Tumores, Melancholia, Scorbutus, Lithiaſis, aliæq; affectiones chronicæ ſcaturiunt. Ex oppoſito, *Tenuiores*, cujuſmodi ſunt vina alba oligophora, ſerum lactis, Mora, Perſica mala, horariiq; fructus, ſuccos pariunt tenuiores, qui Biolychnii flammula cito nimis faciléq; diſperguntur; unde virium languor, & partium reſarcitio diminuta.

4. Quoad *Occultas* autem (uti loquitur Philoſophorum vulgus) qualitates; hoc nomine damnanda veniunt Alimenta, quotiens ſitum ac putredinem conceperint, aliamve noxiam habuerint labem, qua naturam corporis noſtri inſigniter lædant ac pernicioſe. Sub hunc cenſum cadunt Frumenta Carneſq; putredine ſituvè corrupta, aut venenis inquinata; hæc enim omnia intro excepta, ſpiritus, ſanguinem humoreſq; contagione inficiunt & labefactant. Hujus rei eximium comperimus Exemplum in Venatoribus illis, qui (referente clariſs. *Fernelio, in lib. 2. de abdit. rerum cauſſis*) quum de rabioſi Lupi, quem trucidarant, inq; varia obſoniorum genera appararant & coxerant, carne comediſſent; non multo poſt tempore rabie correpti miſerrime perierunt: quandoquidem vis venenata in ea carne tam diligenter apparata permanſit, nec ab igne potuit, aut eſitantium calore domari.

5. Secundo,

5. Secundo, *Quantitatis* reſpectu lædunt Alimenta; idq; bifariam, ſcilicet vel quando copioſe nimis ſupraq; naturæ vires fuerint aſſumpta; vel quando parce nimis infraq; naturæ neceſſitatem. Illinc exoritur Repletio: hinc Penuria & Inanitio. Ex Repletione, ubi cibus & potus in optimum Chylum, in ſanguinem faceſſerint, & in alibilem Nervorum rorem; ſenſim accumulatur Plethora, ſeu ſuccorum utilium exuperantia; ubi vero iidem, ex coagmentatione aſſidua corruptelam demum putredinemq; acquiſiverint, emergit mox Cacochymia: atq; ex his duabus uberrima ſuccreſcit morborum ſeges. Plethora quidem, tum quæ deferendis humoribus comparata vaſa ſolum complet, tum etiam quæ vires ſimul gravat; licet, quàm humorum luxuriantium corruptio, naturæ minus gravis ſit & infenſa: tuta tamen non eſt, ſed maxime lubrica & periculoſa. Ventriculum quippe obruit, adeo ut eum in opere Chyloſeῶs deficere ſit neceſſum; & Spiritum vitalem, Sanguificationis Authorem, perinde ac multum oleum lucernæ flammam, opprimit & quaſi ſtrangulat, ut is è Chylo in Cordis ventriculos ſubinde importato ſanguinem nequeat purum ſat probeq; excoctum conficere; unde ſanguis crudus, frigidus, & tum ad ſpiritus vitales reficiendos, tum ad ſuſtentandam Biolychnii flammulam inidoneus. Excrementorum item Flatuumq; ingentem facit proventum, quæ præ copia neq; â natura domari poſſunt, nec facilè excludi. Præterea, omnis generis humores congerit, eorumq; tum multitudine, tum cruditate ac

craſſitie,

craſſitie, Obſtructiones accerſit, circuitum ſanguinis retardat, viſcerum meatus opplet, Cerebrum Nervoſq; gravat, totumq; corpus infarctum, turgidum, compactum, minimeq; pervium reddit; & eo nomine impedimento eſt, ne è ſanguine continuo exhalantes vapores per diaphoreſin tempeſtive explodantur. Et heinc Febres, Inflammationes, Tumores, Diruptiones vaſorum, Hæmorrhagiæ, Apoplexiæ, aliaq; quamplurima id genus mala ſuccreſcunt. *Cacochymica* autem *Plethora*, quandoquidem ex non modo ſuperfluis, & ad vaſorum continentium diſtentionem uſq; congeſtis, ſed & vitioſis ſimul inq; putredinem ex leviſſima quavis occaſione obnoxiis humoribus expullulet: infinitæ propemodum morborum multitudini & occaſionem ſubminiſtrat, & materiem. Sanguinem quippe, quo vita potiſſimum ineſt & ſuſtentatur, variis conſpergit impuritatibus; quæ neq; ſpiritus vitalis energia reduci poſſint in meliorem naturam, nec inter circulandum â ſanguine in organis hujus â ſordibus repurgationi inſervientibus convenienter ſeparari: unde univerſa ſanguinis maſſa in arterias ſenſim delatâ ex Abdomine fœdâ colluvie brevi corrumpitur; & quid mali, precor, eſt, quod â corrupto ſanguine non expectes ac timeas? Quum enim ex obſervationibus Harvæanis ſit apertiſſimum, quod ſanguis, ſpiritu vitali quaſi entheatus, ſit corporis (poſt Deum ter opt. max. immediate) tum opifex, tum conſervator, & pars principalis, in qua Animæ ſedes: inde fas ſit colligere, eum non vitæ ſolum Authorem eſſe; ſed pro vario ejus diſcrimine, ac motu in celeritate aut tarditate, vehe-

mentia

Digitized by Google

mentia aut debilitate, &c. Sanitatis etiam morborumq; cauſſas contingere. Quod haud obſcure olim ſubinnuit *Philoſophus* (*de part. Animal. lib.* 2. *cap.*4.) ubi inquit; *Sanguinis natura cauſſa eſt, cur permulta Animantibus tum per mores, tum etiam per ſenſum obveniant. Nam ejus tenuitate & munditie, animalia ſapientiora fiunt, ſenſumq; mobiliorem obtinent: ſimiliter, vel timidiora, vel animoſa, iracunda, & furioſa evadunt; prout ſcilicet ſanguis eorum vel dilutus, vel fibris multis craſſiſq; refertus fuerit.* Ut heinc cauſſas perſpicere liceat, non modo vitæ in genere (quippe nullum aliud Calidum innatum, aut influens reperias, quod ſit immediatum Animæ inſtrumentum, præter ſanguinem, & ex eo oriundos ſpiritus vitales) ſed longioris etiam, aut brevioris ævi; ſomni, vigiliarum, ingenii, roboris, & morborum ferme omnium. Ita ſane â natura comparatum eſt, ut nobis ex eodem fonte vita & ſanitas, imo nonnunquam & mors quoq; ipſa profluant. Quo rite animadverſo, quis fando poſſit exprimere, quantopere Mortalium felicitatis interſit, Animæq; pariter ac corpori conducat; ut proba victus ratione ſanguinem purum ac nitidum conſervent? Deinde, ex Cacochymia, *Succus* quoq; *Nutritius*, quo quicquid ſubſtantiæ corpori in dies detractum eſt, in dies inſtauratur, adeo inquinatur, ut partibus eodem nutriendis delatus, non aſſimiletur quidem, ſed ceu ingratus & noxius ab iiſdem plane rejiciatur. Heincq; Cachexia, Scabies, Elephantiaſis, & ingens aliorum affectuum ab impuro Succo Nutritio dependentium ſylva. Quocirca hunc habitum rectè commonefacit

Digitized by Google

facit *Hippocrates* eſſe periculoſum, & ſine mora ſolvendum. Hicq; memoratu dignum ſit Diſtichon illud *Phocylidis*

μέτρῳ μὲν φαγεῖν, καὶ πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν·
πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεεινή.

Moderatè cibum potumq; ſumas, & loquaris:
Modus omnium optimus, exceſſus autem vitan-
(dus eſt.

6. Contra vero, *Inedia,* ſeu tenuior parciorq; victus, quam natura exigit, licet vitioſos quidem humores per iteratas cruditates congeſtos attenuet, ſuo modo concoquat & abſumat; eoq; nomine, tum ſanguinis circuitum accelerando, tum ſucci alibilis diſtributionem promovendo facilitandoq; univerſum corpus pervium patenſq; reddat, obſtructiones expediat, flatus diſcutiat, Cerebri omniumq; partium excrementa moveat, & in vias deducat, per quas naturæ impulſu è corpore exturbentur: ſi tamen longior fuerit, tum ſanis, tum impuris corporibus utiq; haud parum incommodare ſolet. *Sanis* quippe, non modo ſpiritus, ſanguinem, atq; balſamicum nervorum liquorem, aſt & partium etiam ſolidarum ſubſtantiam colliquat, depaſcitur & exhaurit, denuoq; in Maraſmum deducit. Conſultiſſime itaq; ſtatuit *Hippocrates*, Levius in paullo pleniori diæta peccari, quam in pertenui. Impuris vero, dum noxios humores, conſueta alimentide novo ſubminiſtrati benignitate deſtitutos, exagitat; varia intentat nocumenta;

pro vario jejunantis temperamento, & apparatu morboſo: quandoquidem per inediam humorum omnium vires ſe produnt manifeſtè. *Bilioſis* nempe effervefcit Bilis, & quaſi conceptâ ferocitate exultat; quæ ſuo dein motu ac fermentatione, oris amarorem, præcordiorum anguſtiam, Cardialgiam, quinimo nonnunquam & Febres inducit: hincq; proculdubio contingit, quod Picrocholi τὰ ἄνω (ut venerandi *Senis* phraſi utamur) Νοσεῖν ægerrimè ferant. *Melancholicis*, dum fermenteſcere facit ſuccum Acido infamem, mœrorem & metum incutit, vigilias, vertigines, ructus, oris aciditatem, hiſq; ſimilia ſymptomata. *Pituitoſis* autem deſtillationes è capite concitat, & pituita in ventriculum copioſe illabente, Nauſeam, Vomitionem, Animi defectionem, &c. invehit. Et his, opinamur, de Cauſſis, tenuis & admodum exquiſitus victus ab *Hippocrate* jampridem fuit exploſus.

7. Tertio, reſpectu *Temporis*, nobis aliquando morbos accerſant Alimenta: ubi nimirum vel hora non conſueta, vel nondum integre confecto, in Chylum tranſmutato, deq; ventriculo in inteſtina detruſo cibo priori, ingeruntur. Conſuetudo enim ut in omnibus ad conſervandam corporis œconomiam ſpectantibus, ita præcipue in tempore cibandi, permagni eſt momenti, indeq; in adagium tranſiit, quod Natura gaudeat conſuetis. De hac re recte *Hippocrates* (*2. de rat. vict. in acut. text. 22.*) *Tum iis, qui bis de die comedant, tam iis qui ſemel, noxas & infirmitates pariunt repentina mutationes: Eoſq; qui prandere non conſueverunt, &* *prandeant,*

Digitized by Google

prandeant, ſtatim infirmos reddunt, toto item corpore graves, & imbelles, & deſides. Quod ſi ſupercænaverint, acidum ructant: alios alvi lævitas exercet. Nempe ventriculus præter conſuetudinem gravatur; ſuperſicceſcere conſuetus, non bis tumeſcere, neq; bis cibos concoquere. Contra vero, qui bis de die cibum capere conſueverunt, ii niſi pranſi fuerint, imbelles fiunt & infirmi, ac Cardialgiam patiuntur, &c. Deinde ſi quis in ventriculum antea jam clauſum, circaq; cibi prioris coctionem occupatum, cibos novos ingerat; ſtatim is gravitatem ſentiet, & hiatu, oſcitatione, fluctuatione, ventris deniq; torminibus tentabitur: indicio ſane manifeſto, debitam prius aſſumpti cibi Chylificationem, ab alterius præcociter ſuperingeſti cruditate & fixatione, interturbari ac impediri; indeq; Cruditates, & obſtructiones (quibus nullus non morbus ſuam debeat originem) confertim progigni. Egregia ſuper hoc vitio eſt *Avicennæ* ſententia (*lib. 1. fen. 3. doct. 2. cap. 7.*) *Nihil eſt*, inquit, *in corpore deterius, quam nutriens ſuper nutriens, quod non eſt degeſtum, mittere; & præterea nihil eſt deterius, quam faſtidium ex male nutrientibus, cum inde ilias morborum oriatur.* Quocirca ex *Scholæ Salernitanæ* conſilio

Non bibe non ſitiens; & non comedas ſaturatus.

8. Poſtremo, ratione *Ordinis* perverſi lædunt Alimenta; ubi cibus, qui cæteris diſſolutu concoctuq; difficilior eſt, & tardius per Galaxiam trajicitur, iis præmanſus fuerit, qui & concoctionis

Digitized by Google

& diſtributionis ſunt facilioris. Eupeptis enim, quæ tum facilius in chymum faceſſere ſolent, tum citius in inteſtina delabi; ſi exitus â Dyſpeptis ἐν τοῖς προπόμασι. ſeu prima menſa præpoſterè devoratis præcludatur: præter tempus opportunum in ſtomacho detenta, longioriq; fermentatione viciata, & ipſamet corruptelam concipient, & eandem reliquis cibis omnibus, ut ut alioquin optimis, affatim communicabunt; unde τῆς πέψεως διαφθορά, & hinc Cacochymia, morborum feraciſſima. Et de Alimentorum vitiis, quæ maximam in gignendis morbis vim obtinent, hæc breviter dicta ſunto.

EXERCITATIO VII.

Quæ mala à Motu & Quiete; quæ item à Somno & Vigiliis modum ſupergreſſis.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Quam diverſimode Lædatur ſanitas à* Motu *corporis* immoderato, 2 *&* intempeſtivo; 3 *ab* Inertia *& deſidia*; 4 *à* Somno *deniq; &* Vigiliis *longioribus.*

HIs proximè ſuccedunt *Motus* & *Quies* modum excedentes; quæ & ſuum etiam ad Nóſogeneſin ſymbolum haud raro conferunt. In Motu autem commiſſi errores, in ejus vel Exceſſu conſiſtunt, vel Importunitate.

1. *Motus* corporis *Immoderatus* quamplurima affert incommoda, quæ ab omnibus, quotquot jucundæ ſalubriſq; vitæ ſtudioſi ſunt, ſedulo vitari debent. Quippe, ſive vehementior ſupraq; corporis vires fuerit, ſive diu nimis continuatus; ſpiritus, nedum qui è ſanguine noviter accenſi ſunt, aſt & partium ſolidarum inſitos (illarum quaſi indigenas & conſervatores) diſſipat & exhaurit: adeoq; & ſanguinem depauperat, & univerſum corpus denuo refrigerat. Nervorum balſamum nutriendis partibus apparatum colliquat & abſumit; atq; oleaginoſas Muſculorum, Ligamentorum, ac Articulorum humiditates abſumendo exſiccat: eaq; de cauſſa & nutricatum imminuit, & membrorum robur diſſolvit: Membranas Meſenterii adeo interdum laxat aut divellit, ut Enterocelem excitet: & viſcera con-

Digitized by Google

concutiens, tenuiora teneriorаq; eorum vaſcula, & præſertim Lymphæductus nonnunquam diſrumpit; ex quibus, extravaſato ſanguine, emictiones, vomitiones, aut expuitiones cruentæ; & Lymphâ effuſâ Hydropes mox inſequuntur. Sanguinem univerſum ita in arteriis veniſq; exagitat & diffundit, ut aut perverſo Fermentationis vitalis motu, putredinem mox concipiat, adeoq; Febres putridas excitet; aut nimium exæſtuans liquatuſq; propriis conceptaculis coerceri haud poſſit; ſed his apertis foras erumpens, partibus Phlegmonas infligat; aut ſi coercetur, capitis dolores, pulſationes efferatas, Synochaſq; febres inducat. Chylum nondum probe confectum è ventriculo in Inteſtina, ex hiſq; in venas Lacteas, & Meſenterii Glandulas præcociter propellit: eoq; modo Cruditates & obſtructiones, ex quibus innumeri pene morbi ſcaturiunt, parit. Sed & corruptos humores, qui antea tranquilli, ignobili loco concluſi, & quaſi conſopiti jacebant, quiq; alioquin â natura progreſſu temporis in benigniorem ſortem reduci, domari, ac demum blande excludi poterant; commovet, per corpus disjicit, & in orgaſmum agit: Hi autem deinde corpus tetris vaporibus varie laceſſunt, & quoquoverſum diffuſi Scabiem, Tubercula, omnis generis Abſceſſus, putridas Febres, Diarrhæas, Vomitiones, morboſq; multiplices & varios invehunt. Impura igitur, Plethoricavè corpora Exercitium vehementius ne ſubeant.

2. *Intempeſtivus* autem, ſeu qui mox â paſtu, vel dum pravis ſuccis adhuc ſcatet corpus, fortiter inſtituitur;

inſtituitur; ſanitati pariter admodum noxius exiſtit. Efficit nempe, ut Chylus ex dimidio ſaltem coctus, nec ab excrementitiis ſuis partibus ſat repurgatus, in Meſenterii Glandulas, & exinde per ductus *Pecqueti*, in ſanguinis confluvia rapiatur, una cum aliis, ſi qui in corpore exiſtant, humoribus vitioſis: unde corruptâ ſanguinis puritate, exoritur Cacochymia; quæ in habitum corporis effuſa, Obſtructiones parit & affectus cutaneos. Præclare igitur inquiebat Magiſter noſter *Galenus*, (2. *de ſanit. tuend. cap.* 2.) *Non debet, cum adminiſtratur Exercitium, crudi incoctiq; cibi, aut ſucci multitudo vel in ventriculo, vel in vaſis contineri: unde periculum ſit, ne prius quam per maturam coctionem utilis ſit, in omnes Animalis partes rapiatur.*

3. *Quies* vero nimia, ſeu plus æquo intermiſſum corporis Exercitium, Spiritus craſſos, torpidos, & ad omnes vitæ mentiſq; functiones multum ineptos reddit; facitq; ut neq; influxus vitalis partibus ſolidis rite communicetur; neq; ſpiritus earum inſiti ſubinde foveantur, irritentur, ac vigorentur; neq; humiditates demum excrementitiæ & ſuperfluæ per debitam tranſpirationem excutiantur. Unde Circuitus ſanguinis retardatur, & Fermentatio ejuſdem vitalis impeditur, & partes nervoſæ, membraneæ, ac fibroſæ omnes, effœminata quadam mollitie, laxitate, internaq; lubricitate affectæ, quaſi torpeſcunt & languent. Deinde, Medullam ſpinalem, Nervoſq; inde exortos emollit, & firmitudine ſua, perfungendis motibus voluntariis requiſita,

ſenſim

ſenſim privat: hincq; corpus univerſum degravatur, & languidum, molle, infirmumq; evadit. Porro, impedimento eſt, ut neq; ſuccus Alibilis è Cerebro Medullaq; ſpinali quoquoverſum per Nervorum canaliculos in partes ex eodem nutriendas libere effundatur ac diſpenſetur; neq; partes ejus ſuperfluæ ad Glandulas Emunctrices & Reductrices tempeſtive regerantur. Quibus de cauſſis neceſſum eſt, ut Cruditates, & Obſtructiones, & Excrementorum proventus affatim & ubiq; corporis ſuccreſcant. Adeo verum eſt, quod *Ovidius* ait, —— *Ignavum corrumpunt otia corpus.*

4. Hiſce autem, ut viribus affines, ita & ordine connexi ſunt *Somnus & Vigiliæ*; ex quibus modum ſupergreſſis eadem, atq; ab immoderate celebratis motu & quiete, invehi ſolent incommoda. Somnus enim, uti recte ab *Ariſt.* definitur, eſt [στέρησίς τις τ̃ ἐγρηγόρσεως] *Quies quædam & privatio vigiliarum,* ſive Exercitii ſenſuum; vigiliæ autem in ipſo ſenſuum motuſq; exercitio conſiſtunt: ideoq; neceſſum eſt, ut quæcunq; ex diutius intermiſſo corporis motu derivari modò diximus mala, eadem quoq; à ſomno diutius continuato oriantur; exq; vigiliis immoderatis eadem, quæ à nimio motu ac labore. De his igitur hoc ſolum reſtat heic addendum. Quum in Somno Cerebrum, Medulla ſpinalis, Nerviq; pene omnes aliquantulum laxentur, & in ſe quaſi concidant, ob Liquorem Alimentarem (uti probabile eſt) intro ad illas partes tunc temporis potiſſimum delatum, & humidis mitibuſque vaporibus ſuis eaſdem copioſe irrigantem;

quumq;

quumq; ſomno jam finito, excuſſiſq; vaporibus iſtis, dum partes dictæ iterum ſe contrahunt, & quodammodo tenſiores evadunt, & ſuccus ille Nutritius extrorſum ad membra motu placido lentoq; feratur; & Excrementa illius ad Glandes tum quæ excretioni inſerviunt, tum quæ reductioni, ſimul amandentur; (quemadmodum in *Oecon. Animal. Exercit.* 10. ubi de diſtributione ſucci Nutritii per Nervos ex profeſſo ediſſeruimus, dilucidius explicatum invenias.) Quum hæc ita ſe habeant, inquam, ſi ſomno longiori indulgeatur, neceſſario contingit, ut, Cerebro vaporibus repleto, gravetur caput, ſpiritus obſcuretur, omnes ſenſuum Mentiſq; vires torpore & ignavia debilitentur, motus humorum naturales retardentur, crudi pituitoſique ſucci, & omnis generis ſupervacanea exaggerentur; unde inſignis deſtillationum, hiſq; conſimilium frigidorum diuturnorumq; morborum proventus. E contrario, *Vigiliæ* immoderatæ non modo ſpiritus exhauriunt, alimentorum coctionem impediunt, & corpus præſertimq; Cerebrum ſiccant; aſt inſuper fervorem quendam & acrimoniam ſanguini pariter ac ſucco Nutritio inurunt, eoq; nomine partes genio ſuo defraudant, & bilem inflammant, Phrenitidis, Febrium continuarum, acutorumq; morborum procreatricem. Palam adeo eſt, quod *Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.*

Digitized by Google

Exercitatio VIII.

De Animi Pathematis; & quomodo Morborum Cauſſæ fiant.

SUMMARIUM.

ART. 1 *Singularis Argumenti* Difficultas *ab Authore, in gravioris Cenſuræ* Προθεραπείαν, *ingenue agnoſcitur; eaq; à tribus potiſſimum deducitur* Rationibus: *viz.* 2 *Quod Animi Perturbationes non niſi confuſe, obſcureq; repræſententur Intellectui;* 3 *Quod prorſus ignoretur Animæ Sedes præcipua;* 4 *Quodq; ignoretur etiam ratio formalis* Commercii *iſtius, quod Animæ cum corpore, & huic cum illa mutuo intercedit.* 5 Ἐπάνοδος*, ſive reditus ad propoſitum.* 6 *Omnes Animæ Functiones reducuntur ad duo Genera; ad* Voluntates *nimirum, &* Perceptiones. 7 *Voluntatum, Alias eſſe quæ in ipſamet terminantur* Anima; *Alias vero, quæ in* Corpus. 8 *E Perceptionibus pariter dari Alias, quæ* Animam *ſolam pro cauſſa habent; Alias autem, quæ producuntur opera* Corporis. 9 *Quænam Perceptiones referri debeant ad* Objecta Externa: 10 *Quænam ad* Affectus corporeos: 11 *Et quænam proprie ad* Animam. 12 Suppoſitum primum; *viz. præcipuam Animæ ſedem eſſe in medio Cerebri, prope Nervorum exortum.* 13 Suppoſitum ſecundum; *actum volitionis in Anima, ſufficere ad determinate impellendos Spiritus Animales in eos Nervos ac Muſculos, quorum motus ad producendum effectum, qui voluntati reſpondeat, maxime inſerviant.* 14 Suppoſitum tertium; *quod Spiritus Animales poſſint æque libere ac diverſimode à variis Objectorum impreſſionibus moveri; atq; ab Anima ipſa.* 15 Suppoſitum quartum; *quod iidem Spiritus Animales, è cerebro in cor & ſanguinem tranſmiſſi, poſſint tum hujus, tum illius motus variare: ubi obiter redditur ratio, Cur cor pro primaria præcipuaq; ſede Paſſionum vulgo accipiatur.* 16 *Generalis Paſſionum* definitio: 17 *Et Explicatio iſtius.* 18 *E Paſſionibus dari nullam (ſi nudam exceperis Admirationem) quæ* motum *aliquem primo ſpirituum, deindeq; ſanguinis ac cordis peculiarem ſibi comitem non habeat; ubi opportune explicatur ratio, cur Anima ſemel commota paſſiones ſuas nec cito ſiſtere poſſit, nec ad libitum mutare in contrarias.* 19 *Frequentius concitari Paſſiones ab* Objectis externis: 20 *Quæ Animam afficiunt ſolummodo ratione modorum, quibus nobis vel* prodeſſe *poſſint, vel* nocere. 21 *Ideoq; omnes Affectus, in nobis ab iiſdem excitatos, debere ad* Voluptatem *&* Moleſtiam, *ceu ad duo Genera præcipua, referri.* 22 *Similiter, omnes ſpirituum ſanguiniſq; Motus, qui in paſſionibus variis fiunt, reduci debere ad* Contractionem *&* Effuſionem. 23 *Quod Circumſtantiæ, quibus Paſſiones ab invicem diſcriminentur, ſint primario penes* Tempus. 24 Genealogia *Paſſionum.* 25 *Quinam ſit motus Spirituum in* Admiratione: *& quomodo ſanitati noceat ejus exceſſus.* 26 *Quomodo moveantur ſpiritus & ſanguis in* Amore: *& quæ incommoda ex ipſius immoderatione conſequantur.* 27 *Item quomodo in* Odio; *qualeſque id ſanitati infenſos producat effectus.* 28 *Effectus* Cupiditatis: 29 Lætitiæ: 30 *Et* Triſtitiæ. 31 *Concluſio.*

I. Hiſce

1. HIſce ſummatim decurſis, proximo ſtadio perducimur ad Animi *Pathemata*, ſeu Paſſiones; quæ quoties modum excedunt, nos graviter convellunt, ideoq; in producendis morbis Evidentium Cauſſarum vim adipiſcuntur. Qua ratione igitur, & quibus ex cauſſis fiant; item quos in ſpiritus ac ſanguinem effectus habeant; nobis nunc ſtudioſe diſquirendum eſt. Theorema ſane haud paucis, iiſq; graviſſimis difficultatibus involutum, & cujus cognitionem, ceu Mentis humanæ captui minus obviam, non ſit promptum attingere. Quippe, licet effrænos & inſaniæ finitimos Perturbationum Animi tumultus, in nobis metipſis frequenter nimis experiamur, velutiq; in intimo pectoris excitatos perſentiamus; licet omnis Philoſophiæ Moralis dignitas uſuſq; in eo potiſſimum conſiſtit, ut homines erudiat, quomodo poſſint harum exceſſus ac exorbitantias, ne degenerent in vitia, compeſcere & moderari; licetque è Philoſophis vel præſtantiſſimis complures ingenia ſua ſummopere exercuêre, quo earundem tum Cauſſas proximas, tum primarias Differentias particulatim enucleateq; explicarent: tantum etiamnum abſumus tamen â clara, demonſtrationumq; certitudine munita illarum theoria, quàm ſi nihil omnino ad naturam noſtram ſpectarent; quam ſi aſſiduus virtutum cultus ſubſidii ne minimum quidem contra earum impetus ac furores nobis ſuppeditaret; quamq; ſi nemo mortalium de eis quid unquam ſcriptis prodidiſſet. Hoc autem humaniter animadverſo, minus mirari debet Lector Eruditus,

Digitized by Google

ſi in iis quæ de Paſſionum Cauſſis & Effectibus variis jam ſumus dicturi, quædam invenerit, quorum tanta eſt obſcuritas, ut aut in medio relinqui plane deſiderent, aut majorem, quam ingenioli noſtri attingant vires, rationum ἀκρίβειαν, ad indubitatam ſui demonſtrationem videantur expoſcere. Utcunq; ne omni excuſatione in hac re ſimus deſtituti, haud inconſultum cenſemus, tria in medium proferre, quæ jure quidem indulgentiam Ejus conatibus noſtris concilient.

2. *Primum* eſt, quod Animi Pathemata merito ſint in Perceptionum, ſive Senſationum earum claſſem referenda, quas imperveſtigabilis Animæ humanæ natura, ex una parte; arctiſſimumq; illud fœdus, quod Animæ cum corpore intercedit, ex altera, neceſſario reddunt confuſas & obſcuras. Etſi enim apertiſſimum ſit, Nos omnes harum paſſionum motus in nobis, velutiq; in Animæ noſtræ profundo, perſentiſcere; non tamen conſequitur proinde, ut motuum illorum principia & rationes eo clarius intelligamus: ſed potius è contra, ut quo magis eos ſentiinus, i. e. ab eis agitamur, eo majori confuſione ac obſcuritate Imaginationi & Intellectui repreſententur. Nam, teſtis eſt Experientia, eos qui magis â paſsionibus ſuis commoventur ac percelluntur, non melius, eo tempore, illas noſſe ſeu intelligere, quam alii ſuas, quibus minus agitari ſolent. Cujus rei Ratio in eo forſan conſiſtit, quod Animæ ejuſmodi perturbationibus graviter concuſſæ, quaſi vis quædam ab objecto, per conſueto violentiorem impreſſionem ſe offerente, ſit illata,

Digitized by Google

illata, adeo ut illa, ſui vix ſatis compos, tota in eo eſſe cogatur, ut quieti ſe reſtituat, nec intelligendi cogitandive functionem perinde poſſit exercere, ac ubi libera eſt, omniq; commotione prorſus vacua. Id quod tacite olim ſubinnuiſſe reputetur *Hippocrates*, in hæc verba: *Sola quies* (inquit) *cerebri ſapere facit, prudentiam ſubminiſtrat; & intelligentiam cauſat.* (Lib. de Morb. Sacr.)

3. *Secundum*, quod minime habeamus exploratum, *Quænam pars corporis ſit Animæ ſedes præcipua.* Veriſſimum equidem eſt, Animam eſſe & toti corpori, & ſingulis ejus partibus arctiſſimo fœdere conjunctam; ut proprie dici nequeat, eam eſſe in parte quadam, excluſive ad alias: tum quia corpus unum eſt, & quodammodo indiviſibile ratione diſpoſitionis ſuorum organorum, quæ omnia ita ad ſe mutuo referuntur, ut, quodam ex illis ablato, totum corpus reddatur mancum ac defectivum; tum quia ipſa ejus naturæ eſt, quæ nullam relationem habeat ad extenſionem, vel dimenſiones, aliaſve proprietates materiæ, ex qua corpus conſtat, ſed ſolummodo ad totam compagem organorum ipſius. Nec tamen minus verum eſt, dari in corpore partem quandam, in qua eadem Anima ſuas functiones ſpecialius quam in cæteris omnibus exerceat. At vero quænam ſit pars illa, quam in tantæ dignitatis ſplendorem inſtituit Natura; hoc ipſum eſt, palam profitemur, quod nemini mortalium adhuc pro certo compertum eſſe intrepide aſſeramus. *Alii* enim Animæ altithronum, ſive arcem baſilicam collocant in *Cerebro*; quia omnia rerum

externarum

externarum ſpectra, ſive imagines, per organa ſenſuum exceptæ, in cerebro, tanquam in ſummo Mentis tribunali, percipiuntur & dijudicantur; & quia læſo cerebro, læduntur mox quoq; imaginandi, reminiſcendi, & ratiocinandi Functiones, quæ tamen in cæterarum partium morbis utplurimum perſiſtunt inviolatæ. Et hæc ſententia quidem ad ſimilitudinem veritatis proprius accedere videatur. Docent autem *Alii*, hanc hoſpitem immortalem ſpecialius reſidere in *Corde*: quatenus paſſiones omnes in eo & accendi & ſentiri vulgo creditum eſt; & quia aperte annunt paginæ ſacræ, in quibus dicitur Deus cordium, non vero capitis cerebrive ſcrutator; noſq; ipſum diligere, non ex toto cerebro, ſed ex toto corde jubemur. *Harvæus* vero, ut vitam, ita & Animam quoq; ipſam primo & principaliter in *Sanguine* reſidere ſtatuit; utpote quo vehiculo, Anima omnibus totius corporis partibus influit; cujuſq; ſolius gratia, eadem *tota in toto, & tota in qualibet parte* (ut vulgo creditur) ineſſe merito cenſeatur. Attamen, res adhuc in dubio manet; nec hominum quemquam eſſe opinamur, qui quantumvis Mentem intendat, dicere poſſit, ſe experiri ubinam illa cogitet, ſeu intelligat, ac ratiocinetur; & maxime cum ſi in capite, aut in corde, aut in ſanguine dicat, videat quam perſpicaces, doctiq; viri idem, facto ſæpius experimento, in ſeipſis ſe experiri non potuiſſe, fuerint profeſſi. Profectò, ipſe quoq; *Plato*, poſtquam hac de re copioſe diſſeruit, in hunc tandem modum modeſte concludit. (*In Timæo*) *Quidnam ergo mortale, & quid divinam habeat Anima, & ubi, & cum quibus, & quorum*

rum gratia, explicatum à nobis eſt; at quam vere id dictum ſit, tum demum, ſi id nobis oraculo Deus edixerit, aſſeremus. Adeo proinde, ut cuiquam (cum *Cicerone, in i. Tuſcul.*) roganti, *Ubi, aut qualis eſt iſta Mens? Ubi tua, aut qualis? Potes-ne dicere?* Reſpondere (cum *Lactantio, De opific.* 16.) liceat; *Mentis rationem incomprehenſibilem eſſe, quis neſciat, niſi qui omnino illam non habet; cum ipſa Mens quo loco ſit, aut cujuſmodi, neſciatur.*

4. *Tertium* autem eſt, Nos pariter neſcire, in quo primario ac immediate conſiſtat illud *commercium*, quod Animæ cum corpore intercedens, in cauſſa eſt, ut in ſe reciproce agant, & ab invicem patiantur, in Animi Pathematis: ſeu (ut apertius adhuc loquamur) quomodo contingat, ut rerum externarum imagines communi ſenſorio impreſſæ, ibiq; ab Anima perceptæ, commotionem quandam, ſive Paſſionem in ea excitent; atq; Anima ad paſſionem ita excitata, mox ſpiritus, ſanguinem, aliaſq; corporis partes, pro ſuo arbitrio commoveat, idq; determinate quidem, atq; conformiter tum ad eam, quam de natura objecti conceperit, ideam, tum ad media, quibus ad exequendam voluntatem ſuam uti ſibi propoſuerit. A *Philoſophis* quidem, pariter atq; â Medicis vulgo edocti ſumus, quod in cerebro reperiantur ſpiritus quidam, qui è puriſſimis ſummeq; mobilibus ſanguinis particulis in id continuo delatis, in eoq; ad ſummam ſubtilitatem evectis, confecti, proximum ſint & immediatum Animæ Inſtrumentum, quibuſq; ea utatur, in omnibus

omnibus actionibus ſuis, quæ in corpus determinantur. Verum tamen, conſideranti, quod Eſſentiæ Immateriali, qualem eſſe Animam concipimus, impoſſibile prorſus ſit phyſice pati â Materiali, qualis eſt corpus; quodq; ſpiritus hi Animales, quantumvis ſubtiliati ac exaltati, adeo ut ſenſus noſtros longe effugiant, ſemper tamen nihil aliud ſint quàm corpuſcula exiliora: Profecto, ſumme arduum erit imaginari, aut quomodo objecta externa in Animam, mediantibus hiſce ſpiritibus, ad excitandas in ea paſſiones, agere poſſint; aut quomodo, vice verſâ, valeat Anima eoſdem ſpiritus, pro voluntatis ſuæ imperio, movere ac impellere. Adeo proinde, ut quod olim dicere ſolebant Rabbini antiquiores, de conſimilis difficultatis quæſtionibus; idem nobis quoq; de modo, quo Anima & corpus mutuo ſeſe afficiant, dicere fas ſit: nempe eum tam abſtruſum eſſe, atq; incomprehenſibilem, ut explicatio ejus uſq; in adventum Eliæ merito ſit differenda.

5. Jam vero, ut quorſum ſpectant hæ Ἀποτεύξεις, demum innoteſcat; quum ſit quaſi de ipſamet eſſentia Paſſionum Animi, ut non niſi confuſe obſcureq; Intellectui repreſententur; quumq; neq; de principali Animæ ſede in corpore, neq; de admirandi illius Commercii, quod Animam inter & corpus mutuo intercedit, ratione formali, certi quid ſtatui poſſe videatur: Profecto, ſpei nonnihil nobis affulget, quod, ſi quæ de Zetemate propoſito, Paſſionum ſcilicet Cauſſis & Effectibus, mox dicturi ſumus, Demonſtrationum πληροφορίαν in omnibus non

non attigerint, eruditus, candidæq; mentis Lector conatibus noſtris clementer tamen indulgeat; maxime vero, ubi quas ad ſolvenda Pathematum phænomena attulerimus Rationes, adeo probabiles, ſibi invicem conſentaneas, veritatiq; affines invenerit, ut eas penitus expugnare ſit difficillimum. Hoc autem dicto, penſum noſtrum jam aggredimur.

6. *Functiones* omnes, quæ ad Animam noſtram proprie ſpectare videantur, ad duo potiſſimum genera ſe referunt genuine: quædam enim ſunt *Actiones* animæ; aliæ vero ejus *Paſſiones*, ſive Affectus. Sub *Actionum* nomine, complectimur omnes noſtras *Voluntates*, ſeu Volendi actus; quia in nobiſmetipſis manifeſto experimur, eas directè profluere ab Anima, & ab illa immediate dependere: per *Paſſiones* autem, ſive Affectus, intelligimus cunctas *Perceptionum, Cognitionumvè* ſpecies, quæ in nobis reperiuntur; quoniam haud raro contingit, ut Anima eas tales non faciat, quales ſunt, & ſemper eas recipiat ex rebus per illas repræſentatis.

7. Rurſùs, *Voluntates* noſtræ pariter duorum ſunt Generum; Aliæ quippe ſunt actiones animæ, quæ in ipſa Anima terminantur; ut cum volumus Deum diligere, aut attentiori alicujus objecti immaterialis contemplationi mentem noſtram ſedulo applicare: Aliæ vero, quæ terminantur in corpus; ut cum voluntas noſtra ad ambulandum determinata, efficit ut mox moveantur crura, itaq; progrediamur.

8. Similiter, *Perceptiones noſtræ* ſunt etiam Duplices; harum ſiquidem *Aliæ* ab Anima primario emanant; â Corpore autem *Aliæ*. Quæ *Animam* ſolam pro ſua cauſſa habent, ſunt perceptiones voluntatum noſtrarum, omniumq; Imaginationum, aut aliarum Cognitionum, quæ ab illa dependent; eſt quippe certiſſimum, nos non poſſe quicquam velle, quin percipiamus ſimul nos id velle; & quamvis reſpectu Animæ, ſit Actio aliquid velle, poteſt tamen etiam dici, eſſe in illa Paſſionem, percipere quod velit: & de omnibus Imaginationibus, aliiſq; Cogitationibus noſtris idem prorſus ſentiendum, utpote quæ per Animam formantur. Quæ *Corporis* opera producuntur, in Genere pendent â rerum ideis Cerebro forinſecus impreſſis: cum eo tamen diſcrimine inter ſe, quod *quædam* ex iis ad objecta Externa præcipue referri deſiderent; *Aliæ* ad Corpus noſtrum; & *Aliæ* deniq; ad Animam. Et de hiſce tribus Perceptionum Differentiis ſpecialius dicendum.

9. *Primi* generis Perceptiones, i. e. quæ ſpecialius referri debent ad *Objecta Externa*, producuntur in Anima, â rebus extra nos poſitis, dum hæ per imagines ſuas, i. e. impreſſiones quaſdam ſui ſimiles, cerebro ſive communi ſenſorio ab externis ſenſibus delatas, efficiunt ut Anima illas percipiat, ſive ſentiat & dijudicet. Sic cum videmus lumen candelæ, & audimus ſonum campanæ, hic ſonus, & hoc lumen ſunt duæ diverſæ actiones rerum externarum, â quibus proveniunt, quæ eo ſolum, quod

quod duas diverſas impreſſiones faciunt in cerebro, duas diſtinctas ſenſationes Animæ exhibent, quas ſic referrimus ad ſubjecta, quæ ſupponimus eſſe earum Cauſſas, ut putemus nos videre ipſam candelam, & audire campanam; non vero ſolum ſentire impreſſiones ſive Imagines, quæ ab ipſis cerebro communicantur.

10. *Secundi* generis ſunt, quæ ab Affectibus noſtris Corporeis, cerebro nervorum ope communicatis, exoriuntur; cujuſmodi ſunt Senſationes Famis, ſitis, aliorumq; conſimilium Appetituum, qui â corpore, aut quibuſdam ſaltem illius partibus pendent: quibus adjungi poſſunt Dolor, Calor, aliiq; Affectus omnes, quos ſentimus quaſi in membris noſtris, non autem ut in Objectis, quæ forinſecus nobis repræſentantur. Sic eodem tempore, eorundemq; nervorum opera, ſentire poſſumus & frigiditatem noſtræ manus, & calorem ignis, cui eam admovemus; aut è contra, & calorem manus, & frigus aeris cui illa exponitur: nullâ ſimul animadverſâ inter actiones quæ efficiunt, ut ſentiamus calorem aut frigus, quod in noſtra manu eſt, & eas quæ faciunt, ut ſentiamus id quod eidem manui ab extra obvenit, differentiâ; niſi quod unâ harum actionum alteri ſuccedente, judicamus primam in nobis jam ineſſe, & ſupervenientem nondum adeſſe, ſed in objecto, â quo producitur.

11. *Tertii* deniq; generis Perceptiones, ſunt illæ, quarum effectus quaſi ipſamet in Anima ſentiuntur: cujus ordinis ſunt ſenſus Lætitiæ, Gaudii, Iræ,

Digitized by Google

Iræ, & aliorum affectuum ſimilium, qui maximam partem in nobis excitantur per objecta externa ſenſus noſtros moventia; & quandoq; etiam per alias cauſſas. Atq; hæ quidem perceptiones, ſub Affectuum ſive Paſſionum Animi nomine veniunt intelligendæ; utpote quibus profundius, eminentioriq; quodam modo affici, & veluti concuti videtur Anima noſtra, quoties eas patitur. Non quidem, quod & cæteræ perceptiones, tum quas ad objecta Externa, tum quas ad Corpus noſtrum ſpeciatim retulimus, non ſint pari jure ab Actionibus Animæ ſupra recenſitis diſtinguendæ, Paſſionumq; nomine proinde accipiendæ; maxime vero ubi iſtud vocabulum latiori ſignificatione uſurpatur: ſed quod quæ hic ultimo â nobis deſcriptæ ſunt, κατ' ἐξοχὴν Paſſiones indigitari expectent; quodq; vulgo obtinuit uſus, ut Paſſionum nomen ad connotanda Animi Pathemata, circa quæ nos nunc verſamur, proprie reſtringatur.

Hoc autem Diſtinctionis gratia animadverſo; ſequuntur quædam, quæ etſi ejuſmodi forte non fuerint, quibus certa indubitataq; fides poſſit adhiberi; talia tamen videntur, quæ vivam præ ſe ferant veritatis imaginem, quæq; pro veris proinde, ſaltem διδασκαλίας χάριν, â nobis hic veniunt ſupponenda. Supponamus itaque,

12. *Primo,* quod Animæ noſtræ ſedes præcipua ſit in parte quadam Cerebri, in eo loco ſita, ubi ab omnibus ejuſdem cerebri partibus, veluti in centro, concurrunt Spiritus Animales; itaq; â Natura conſtituta comparataque, ut & omnes rerum externarum

ternarum imagines per ſenſus externos introrſum delatæ, in ea, ceu in ſummo Animæ tribunali, percipiantur ac dijudicentur; & Spiritus Animales, tanquam Emiſſarii vel ipſomet fulgure velociores, exinde in quoſlibet è Nervis, pro Animæ imperio, adque explendam illius voluntatem, amandentur.

13. *Secundo*, omnem Animæ Energiam, quoties illa actionem ullam aggreditur, corporis ope perficiendam, in hoc unice conſiſtere; quod eo ipſo ſolo, quod vult aliquid determinatum, efficit ut Spiritus Animales determinate moveantur & impellantur in eos Nervos, Muſculos, aliaſq; corporis partes, quarum motus ad producendum effectum, qui huic voluntati reſpondeat, maxime inſerviant. Sic cum imaginari volumus aliquid, quod nunquam vidimus, efficit hæc ipſa Animæ voluntas, ut Spiritus Animales (ceu Emiſſarii quidam, quicquid in itinere explorarint Dominæ mox renunciaturi) in eas Cerebri partes confertim confeſtimq; determinentur, in quibus olim repoſitæ fuerunt talium rerum imagines, quæ ſimul collectæ, inq; unam ideam compoſitæ, ſpeciem rei illius, quam nobis imaginandam propoſuimus, Animæ quodammodo poſſint repræſentare. Sic, cum volumus mentem noſtram attentiori cujuſvis objecti ſingularis contemplationi per aliquot temporis momenta infigere; hæc ipſa voluntas, ad ſpiritus in iſtius objecti ideam convertendos, continuoq; retinendos, ſufficiet. Et ſic denique, cum dextram movere volumus; hæc voluntas efficit, ut impellantur ſpiritus in eos

muſculos,

muſculos, qui manui huic movendæ ſunt comparati. Ut demum credamus, omnem Animæ activitatem ſive potentiam, quæ in corpus determinatur, in illius voluntate primario & principaliter fundari; ſecundario vero in impulſu ſpirituum.

14. *Tertio*, Quod Spiritus Animales poſſint æquè libere ac diverſimode â variis objectorum impreſſionibus moveri; atq; ab Anima ipſa. Conſentaneum quippe eſt, impreſſiones varias, quæ mediantibus nervis Senſoriis Cerebro inuruntur ab externis objectis, ſufficere ut ad excitandas ſenſationes varias in Anima; ita & ad concitandos conſimiles ſpirituum motus: idq; citra imperium Animæ, eoq; modo, ut ipſi in hos vel illos è Nervis & Muſculis, potius quam in alios influant, parteſq; eas, quibus illi inſeruntur, moveant. Quod unico hocce Exemplo conficiatur. Si quis manum cito extenderit in oculos noſtros, tanquam nos verberaturus; quamvis ſciamus eum nobis amicum, & non niſi joco id facere, abſtenturumq; ab omni malo nobis inferendo: vix poſſumus tamen nos ab illis claudendis continere. Indicio equidem apertiſſimo, oculos non Animæ noſtræ opera claudi; cum id fiat citra hujus imperium: ſed quod machina noſtri corporis ſic compoſita ſit, ut ſubitanea extenſio illius manus in oculos noſtros, talem impreſſionem in Cerebro efficiat, quæ ex ſe ſufficit ad impellendos ſpiritus in eos Muſculos, qui deprimendis palpebris inſerviunt.

15. *Quarto*,

15. *Quarto*, quod eidem Spiritus Animales è Cerebro in Cor, itaq; in ſanguinem, dum is ejus ventriculos pertranſit, tranſmiſſi; poſſint tum hujus, tum illius motus variare; idq; diverſimode, prout illi majori minorive copia, cumq; majori vel minori impetu illuc fuerint impulſi. Nam, quoad primam ſuppoſitionis hujus partem, ſpirituum ſcilicet influxum in Cor; teſtis eſt Anatome, Cor nedum Nervulis inſignitum eſſe, â ſexta Conjugatione Cerebri derivatis, & triplici loco inſertis (uno nimirum, qui in carnoſam cordis ſubſtantiam fertur; altero, qui in Auriculas; & tertio, qui inter vâſa ejus majora) ſed & inſigni inſuper Fibrarum contextu, quæ ſecundum ſinuum ejus receſſus hinc inde varie protenſæ, figura nervulos ad vivum uſque æmulantur, ut *Ariſt.* eas pro nervis habens forſan, Cor dixit Nervorum principium; quarumq; ampliores, quiſquis â recenti diſſectione accuratius inſpexerit, porulis conſpicuis intus præditas deprehendet. Cuinam autem Uſui,precamur, inſerviant hi Nervuli? Non, certe, ad efficiendum Cordis Motum, qui dicitur Pulſus; quoniam Cor ante agitatur & pulſat, quam Animalis Facultas ad movendi ſentiendiq; actus perducatur; quod ex Harvæanis Obſervationibus de Generat. Animal. indubitato conſtat; & quoniam ſanguis ipſe copia ſua cor movet, in Diaſtole, Corq; conſtrictione ſua ſpontanea propellit ſanguinem, in Syſtole, & eo modo utriuſq; motus perennatur, quemadmodum fuſiori rationum ſerie â nobis demonſtratum, in *Exercit. 6. de Oeconomia Animali.* Neq; ſimpliciter

citer ad ſenſum; utpote qui minime exquiſitus in cordis parenchymate deprehenſus eſt, id quod in vulneribus ejus vel profundioribus experientia ſæpius compertum. Quid itaq; de Uſu horum exiſtimemus? Fatendum eſt quidem, poſſe eos convenientem Succi Alimentaris portionem è Cerebro in Cor deducere, quo fibroſæ nervoſæq; ejus partes continuo deſiderant inſtaurari, quum munus ſit univerſo generi Nervoſo commune, ut Succum illum in ſingulas corporis partes ex eodem nutriendas, deferant, ſicut à nobis in *Exercit. de Diſtributione Succi Nutritii per Nervos*, nervoſe deductum eſt; quumq; alia via detur nulla, per quam alimentum in cor diſpenſetur, pari cum probabilitate. Nec minus tamen probabile eſt, eoſdem Spiritibus Animalibus quoq; illorſum deducendis pariter inſervire: quum nihil quicquam repugnantiæ mutuæ uſui huic cum illo videatur intercedere, uti ex eis, quæ de hac re loco modo citato ediſſeruimus, clare evincatur; quumq; aliàs durum erit imaginari, per quos ductus illi è cerebro in interiora cordis libere adeo, adeoq; copioſe, quàm in paſſionibus quibuſdam experimur, trajici poſſint.

Et quod ad poſteriorem Suppoſiti partem attinet, ſpiritus nimirum ita in cor immiſſos efficere poſſe, ut tum cordis, tum ſanguinis id perlabentis motus, & celeritate, & vehementia, varientur: videtur res adeo manifeſta, ut expediatur perpaucis. Quum enim Spiritus Animales ejus ſint naturæ, ut ſubtilitate mobilitateq; ſua per exiliſſimos deſcriptorum Nervulorum ſurculos permeantes, in ipſas uſq; Cordis cavitates facillime ingruant; ſanguiſq; liquor

ſit,

ſit, qui quo majori particularum ignearum, i. e. Spirituum copia perfunditur, eo plus turgeſcit, dilatatur & micat, eoq; per conſequens vehementius ac celerius & in ſe agitatur, & è corde in arterias quaſi exilit: vix fieri poteſt quidem, ut illi in ſanguinem aliquando copioſe irruant, quin is ab eorum influxu & commiſtione illico conſueto magis incaleſcet, dilatabitur, ſeq; expandere conabitur, pulſuſq; exinde reddetur proportionate concitatior. Deinde, veriſimile eſt, rationem, cur cor pro primaria præcipuaq; ſede Paſſionum vulgo accipiatur, in hoc potiſſimum conſiſtere, quod in iis motus ejus diverſimode alterari deprehendantur, pro variis in eo contenti ſanguinis motibus, ab influxu Spirituum Animalium vario excitatis. Quoad enim eorum ſententiam, qui arbitrati ſunt, Animam Paſſiones ſuas recipere in Corde; nulla ratione admitti debet: utpote quæ in eo demum fundatur, quod Paſſiones in illo excitent quandam motus alterationem; & facile eſt animadvertere, hanc alterationem non ſentiri tanquam in corde, niſi interventu Nervulorum, qui ex cerebro ad illud protenduntur; prout dolor ſentitur quaſi in pede, opera nervorum pedis, & aſtra nobis apparent tanquam in cœlo, opera luminis ſui & nervorum opticorum. Ita tamen ut magis neceſſarium non ſit, Animam noſtram exercere immediate functiones ſuas in Corde; eo quod in illo ſuas Paſſiones ſentit: quam eam eſſe principaliter in pede, ut dolorem inibi perſentiſcat, aut in cœlo, ut videat aſtra. Ut ſolertiſſime advertit *Clariſſ. Renat. Des Cartes, in lib.* ſuo incomparabili *de Paſſionibus.*

16. Hiſce autem Conceſſis, peroppoitunum erit, ut quid per Paſſiones Animi ſit proprie intelligendum, explicemus. Eas igitur in genere definiamus, quod ſint *Perceptiones quadam, ſive Senſationes, Commotioneſq; Animæ, quæ ad ipſam ſpecialius debent referri; quæq; per ſpirituum & ſanguinis motum aliquem excitantur, conſervantur, & corroborantur.*

17. Dicimus, eſſe *Perceptiones*; quandoquidem vocabulum iſtud â Philoſophis conſuetim uſurpatur ad omnes noſtras connotandum Cognitiones, tam quæ in Anima producuntur ab rerum per ſenſus externos perceptarum imaginibus, quam quæ ſunt actus ipſiuſmet Animæ proprii; modo neq; Volitiones fuerint, neq; Notiones (uti vocant) evidentes; hæ enim inter Actiones illius ſupra recenſitas ſunt numerandæ. Dicimus, eſſe *Senſationes*; quia in Anima recipiuntur conſimili prorſus modo, quo rerum externarum idola; nec alioquin ſit poſſibile, ut illi innoteſcant. Deinde *Commotiones* Animæ vocamus; quoniam ex omnibus Cogitationum ſpeciebus, quæ cadere poſſunt in Animam, nullæ aliæ eam perinde commovent, percellunt, & quaſi concutiunt, ac iſtæ Paſſiones; uti quis in ſemetipſo facillime experiatur. Addimus rurſus, eas ad *Animam ipſam* ſpeciatim referri debere; ut diſtinguantur ab aliis ſenſationibus, quarum alias ad objecta externa, cujuſmodi ſunt odores, ſapores, colores, &c. ſupra retulimus; alias autem in corpus noſtrum, quales ſunt Fames, Sitis, Dolor, &c.

Digitized by Google

Et ſubjicimus denique, *Eas excitari, conſervari, corroborari per motum aliquem ſpirituum & ſanguinis*; tum ut â noſtris ſeparentur volitionibus, quæ fiunt ab ipſamet Anima ſola, citra omnem ſeu in ſpiritibus, ſeu in ſanguine commotionem; tum ut ultimam proximamq; earum Cauſſam ſubinnuamus, quæ proculdubio in ſpirituum ac ſanguinis commotione potiſſimum conſiſtit. Nam

18. Certiſſimum eſt, è paſſionibus dari nullam (ſi modo ſimplicem nudamq; exceperis Admirationem) quæ motum aliquem ſpirituum, ac ſanguinis, quinimo & per conſequens cordis etiam, peculiarem ſibi comitem non habeat: uti in nobiſmet ipſis toties quoties experimur, clareq; teſtantur Pſychomachiæ illæ, ſive conflictus, quos in plerisq; è paſſionibus noſtris cogimur perſentiſcere, quique, donec ceſſaverit iſta commotio, cogitationi noſtræ manent uſq; præſentes, perinde ac objecta ſenſibilia, dum illi offeruntur per ſenſus. Hæcque proculdubio Ratio eſt, cur Anima paſſiones ſuas nec cito ſiſtere poſſit, nec in contrarias ad libitum mutare; maxime ubi illæ fuerint vehementiores Quippe, quemadmodum Anima, ſi cuidam contemplationi ſummopere attenta, ſe interim cohibere poteſt ab audiendo parvo ſtrepitu, aut parvo dolore ſentiendo; ſed non poteſt pari ratione efficere, quin audiat tonitru, vel ſentiat ignem manui admotum: ſic facile quidem poteſt ſuperare minores paſſiones; fortiores vero ſive vehementius percellentes nequaquam, niſi poſtquam ſedata fuerit ſanguinis & ſpirituum commotio, unde illæ,

ſeu â cauſſa proxima fuere excitatæ. Et id quod voluntas, utcunq; rectæ rationi, virtutiſq; regimini conformis, ad ſummum facere poteſt, dum viget hæc commotio; eſt non conſentire illius effectibus, & cohibere plurimos ex motibus, ad quos diſponit membra corporis. Ex. gr. ſi ira efficiat, ut manus erigatur ad percutiendum; voluntas ordinario eam continere poteſt, ne percutiat: ſi metus crura incitet ad fugam capeſcendam, voluntas illa ſiſtere poteſt; & ſic de aliis.

19. Patet itaq; ex dictis, ultimam immediatamque paſſionum Cauſſam in genere conſiſtere, in commotione quadam ſpirituum, ad nobiliſſimam Cerebri partem primo excitata, deindeq; in ſanguinem, cor, & arterias illi vicinas continuo derivata. Cæterum, cum hoc non ſufficiat, ad varias paſſionum ſpecies, quibus concutitur Animi noſtri tranquillitas, ab invicem diſtinguendas: ſupereſt, ut de primis earum Cauſſis, ſive unde prima præcipuaq; illarum Genera exoriantur, proxime diſquiramus. In aperto equidem eſt, & cuiq; obvium, quod quandoq; excitari poſſint paſſiones ab actione Animæ ſolius, ſeſe ad hæc vel illa objecta profundius concipienda determinantis; quinimo & ſolo corporis temperamento, aut impreſſionibus, quæ caſu occurrunt in cerebro (ut contingit, cum nos vel lætitia, vel triſtitia affectos ſentimus; nullam autem hujus illiuſve cauſſam procatarcticam poſſumus aſſignare.) Nec minus tamen verum eſt, eaſdem omnes & poſſe, & frequentius ſolere concitari ab Objectis externis, quæ ſenſus movent, eoq; pacto

Animæ

Animæ ſub Boni Malive ſpecie offeruntur. Quo rite penſiculato, conſentaneum videtur, ut ad explorandum quænam ſint differentiæ paſſionum primariæ & magis Generales, quot modis ab objectis externis affici poſſit Anima, ſtrictim examinemus.

20. Adnotandum eſt igitur, quod objecta ſenſibilia Animam non afficiant noſtram ratione varietatum omnium, quibus ſenſuum judicio deprehenduntur ab invicem diſcriminari; ſed tantum ratione modorum, quibus nobis vel *prodeſſe* poſſint, vel *nocere*, ſive quatenus ad naturam noſtram ſpectent: quodq; generalis paſſionum Uſus in eo potiſſimum videatur conſiſtere, ut confirment & perſeverare faciant in Anima perceptiones ſive cogitationes, quas ei bonum eſt conſervare, quæq; alioquin facile poſſent obliterari. Hoc ſiquidem pacto Animam diſponunt ad res eas expetendas, quas nobis eſſe commodas dictamine naturæ edocemur, & ad perſiſtendum in ea voluntate: prout etiam eadem agitatio ſpirituum, unde producuntur, hæc vel illa corporis membra diſponit ad perfungendos motus eos, qui earundem rerum executioni maxime inſerviant.

21. Adnotandum rurſus, omnes Affectus, quos in nobis excitare poſſunt Objecta externa, ratione variorum modorum, qui ad nos ſpectent; haud incommode referri poſſe ad duo Genera præcipua, *Voluptatem* ſcilicet, aut *Moleſtiam*, ſive *Dolorem*: omnia enim quæ ſenſibus percipiuntur, Animæ vel Bona apparent, vel Mala; & quicquid ei ſub Boni

Grative ſpecie oblatum eſt, voluptatem quandam in eadem mox excitat; ſicut è contra, quicquid apparuit Malum ſive Ingratum, infert Moleſtiam. Omnis quippe voluptas in fruitione boni: Moleſtiaq; omnis in mali perpeſsione ſita eſt. Ut nemini mirum videri debeat, duo tantum Genera paſsionum fuiſſe olim ab *Epicuro*, *Ariſtoteleq*; conſtituta. Quorum ille quidem ἡδονὴν καὶ Ἀλγηδόνα ſtatuit τὰ πρῶτα πάθη; & porro cenſuit eſſe voluptatem πάθος οἰκεῖον, *paſsionem* naturæ conſentaneam; Moleſtiam vero, Ἀλλότριον, ab eadem alienam: *Hic* autem, *Paſsiones*, inquit, *novimus*, *Cupiditatem*, *Iram*, *Timorem*, *Audaciam*, *Invidentiam*, *Gaudium*, *Amicitiam*, *Odium*, *Deſiderium*, *Æmulationem*, *Miſericordiam*; *& univerſe omnia*, *quæ conſequitur* ἡδονὴ, ἢ λύπη, *voluptas aut Moleſtia*, *ſeu Dolor*.

22. Adnotandum denique, quod omnes ſpirituum ac ſanguinis Motus varii, qui in variis paſſionibus excitantur, ad duo pariter Genera poſſint reduci; ad *Contractiones* nimirum, & *Effuſiones*, quas *Galenus* dicit Συστολὰς, καὶ Διαχύσεις: quatenus illæ referuntur ad Dolorem & Voluptatem; quia in voluptate, Anima ſeſe, quantum poteſt, dilatat, i. e. Spiritus, ceu Emiſſarios ſuos, diffundit, ut bonum in ſe admittat, ſeu ut bono ſe adjungat voluntate; in Dolore autem ſe quaſi comprimit, retrahitque, i. e. Spiritus intus, verſuſq; ſeipſam revocat, ne admittat malum, ſeu ut ſe à malo, voluntate ſaltem, tueatur.

23. Jam

23. Jam vero, cum & quænam ſit generalis Paſſionum Cauſſa, & Notio; & quomodo ad duo Genera ſumma univerſe referantur, clarè expedivimus: proximum eſt, ut varias utriuſq; generis *ſpecies* ordinatim enumeremus. Quod ut præſtemus, non erit neceſſum, ut multa de ſingulis attingamus, cum recenſere ſolum ſufficiat, quibus *Circumſtantiis* varientur. Hujuſmodi autem Circumſtantiæ primario ſunt penes *Tempus*; quoniam neceſſe eſt, ut diverſificetur voluptatis, Moleſtiæve conditio, prout bonum vel malum Animæ propoſitum, aut præſens eſt, aut abſens. Quippe delectamur etiam, ac dolemus ob ea, quæ præterrita ſunt; quatenus Memoria res quaſi præſentes ſiſtit, retractatis puta illarum ſpeciebus, ſive ſimulacris, quibus Anima iterato aut demulceatur, aut offendatur: & conſimiliter ob ea, quæ ſunt futura; quatenus Anima, providentia quadam præoccupatis rerum imaginibus, eas coram ſe, tanquam revera præſentes, ſiſtit, adeoq; ipſis aut demulcetur, aut exaſperatur, per Anticipationem. Quocirca, quum voluptas, ac Moleſtia complectuntur, hac ratione, Tria Tempora, & reliquas paſſiones ipſis ſubordinatas eadem pariter complecti, liquido conſtabit ex iis, quæ de earum *Genealogia* ac *Ordine* nobis jam dicenda ſunt.

24. Quumprimum novi inſolitiq; cujuſvis objecti ſpecies ſenſum perculſit; illud mox admiratur Anima, tanquam valde differens ab omnibus, quæ antea noverat. Et quoniam *Admiratio* hæc excitari poſſit in Anima, antequam aut cognoſcat illa, aut

aut conſideret, utrum iſthoc objectum ſibi ſit conveniens, nec ne; videtur propterea, quod Admiratio ſit Paſſionum omnium, poſt Voluptatem ac Moleſtiam, prima: quæq; contrario prorſus deſtituitur, quia ubi objectum ſenſibus perceptum nihil in ſe habet rari ſive inſoliti, eodem nullatenus percellimur, ſed illud indiſcriminatim, citraq; Animæ commotionem conſideramus.

Admirationem conſequitur *Exiſtimatio* vel *Contemptus*, prout objectum vel magnum exiſtimationeq; dignum apparet, vel parvum ac deſpicabile. Qua ratione poſſumus Noſmet ipſos etiam vel exiſtimare vel contemnere: unde ortum ſuum adipiſcuntur primo Paſſiones, & conſequenter Habitus *Magnanimitatis*, aut *ſuperbiæ*; & *Humilitatis* aut *Abjectionis*. Verum ſi Bonum, quod in alio quovis præter noſmetipſos objecto magni exiſtimamus, ſit eximium; tunc exiſtimatio augetur uſq; in *venerationem*.

Ubi objectum non ſolum in ſe, ſed reſpectu Noſtri etiam Bonum apparet; id ſui *Amorem* in nobis mox excitat: ſicut è contrario, ſi nobis Mali quid minatur, id nos ſtimulat ad *Odium*. Amor enim nil aliud eſſe videtur, quam propenſio Animæ in eam rem, quæ nobis Voluptatem ſpondeat: Odium autem illius Averſatio, quæ nobis minatur Dolorem. Ne memorem heinc quoq; fieri, ut *Amicitia* nihil aliud videatur eſſe, quam Amoris; *Inimicitia*, nihil aliud quam Odii conſtantia.

Ex Amore emergit *Cupiditas*, qua Anima diſponitur ad concupiſcendum in futurum res, quas ut

ſibi convenientes, voluptatemq; parituras repræſentat. Quomodo non ſolum appetitur præſentia boni abſentis, ſed etiam conſervatio præſentis: quinimo abſentia mali, tam ejus quod jam incumbit, quam illius quod creditur poſſe in futuro evenire. Anima quippe in Cupiditate ſeu Deſiderio cujuſvis rei, quam ſibi deeſſe judicat, ſemper reſpicit Futurum. Ubi obiter adnotandum, ut Cupiditas Amori connexa, ſit *Benevolentia*: connexa Odio, *Malevolentia*.

Si ferat opinio noſtra, quod Bonum reipſa adfuturum ſit; ea fit verſus ipſum Animæ effuſio, & quaſi tendentia, quæ dicitur *Spes*: & hæc, cum ſumma eſt, exaltatur in *Fiduciam*, ſeu *Securitatem*. Cum autem opinio eſt, malum eſſe adſuturum, ſi illa quidem habeat adhuc hæſitationis aliquid, fit ea Animæ contractio ſegnior, quæ dicitur *Formido, Timor*, & (ubi præſertim eſt aliquanto gravior) *Metus*: Hicq; cum extremus eſt, degenerat in *Deſperationem*. Sin certa ſit, tum fit Animæ contractio magis repentina, ac profunda, quæ, ubi præſertim malum ingens eſt, dicitur *Pavor, Terror, Conturbatio, Conſternatio*, & quæ contingit etiam aliquando, *Exanimatio*. Quod ſi aut bonum occupatu, aut malum eluctatu non impoſſibile quidem, ſed difficile tamen reputetur; tum ſi Anima ſic contrahitur, ut in contractione perſiſtat, efficitur *Pigritia* & *Puſillanimitas*: ſin ita contrahitur, ut ſeſe ipſam excitans vehementia quadam quaſi reſiliat, quadamq; velut alacritate ad ſuperandum difficultates prorumpat; tum, ut ſeu bonum

Digitized by Google

conſequatur, ſeu malum avertat, gignitur *Audacia*, cujus *Æmulatio* ſpecies eſt.

Ubi eventus rei concupitæ conſideratur, ut à noſtro conſilio induſtriaq; maximam partem dependens; noſq; adhuc de electione mediorum, quibus eam conſequamur, dubitamus: tum oritur *Animi Fluctuatio*, qua diſponimur ad deliberandum & conſultandum. Et ſi, durante hac Animi fluctuatione, nos determinavimus ad quampiam actionem, rei potiundæ cauſſâ: niſi eventus recte inq; bonum noſtrum ſuccedat, mox afficimur ea Animi ægritudine, quæ dicitur *Syntereſis*, ſive *Morſus Conſcientiæ*; quæ tamen non reſpicit futurum, ut affectus præcedentes, ſed præſens aut præteritum.

Conſideratio boni præſentis, & ad nos particulatim ſpectantis, in Anima gignit *Lætitiam*, cujus ſunt ſpecies diverſæ. Nam ut poſſunt variæ inſuper circumſtantiæ intervenire: ita poſſunt varia hujuſcemodi affectus interſtingui diſcrimina. Quippe, prout bonum eſt ingens, aut tenue; inſperatum, aut concupitum; itemq; prout ratio appetitum temperat, patiturve eſſe effrænem: efficitur, ut Animæ effuſio, atq; adeo voluptas, ſit magna, aut parva; immodica, aut temperata, &c. ac Remiſſioris ſpecies dicantur *Complacentia*, *Jucunditas*, *Gaudium*, *Exhilaratio*: Vehementioris, *Lætitia*, *Exſultatio*, *Jactatio*, *Impetus* ſive *Ecſtaſis*, *Riſus*, *&c.*

Eadem autem ratione, prout Malum præſens eſt magnum, parvum, repentinum, &c. ex ipſius conſideratione, variæ creantur ſpecies (niſi malueris Gradus dicere) Moleſtiæ: ita enim dici ſolent

Ægritudo,

Digitized by Google

Ægritudo, Sollicitudo, Triſtitia, Dolor, Afflictatio, Ærumna, Luctus, Mœror, Lamentatio, Fletus, ac *Ejulatus.*

Verum, cum bonum, vel malum nobis proponitur, ut pertinens ad *Alios*; fieri vix poteſt, quin eos dignos, vel indignos illius exiſtimemus. Si judicaverimus indignos Boni illius, quod ipſis obtigit; id excitat *Invidiam*, ſive *Invidentiam*: ſin indignos Mali, quod patiuntur; tunc efferimur in *Commiſerationem*. Quæ videtur eſſe ſpecies quædam Triſtitiæ.

Ubi cogitationes noſtras reflectimus in Bonum â nobis ipſis præſtitum; fit, ut *Animi Acquieſcentia* afficiamur, quæ omnium paſſionum jucundiſſima eſt; quemadmodum è contrario, Mali, quod ipſimet nos perpetravimus, recordatio infert *Pœnitentiam*, quæ omnium amariſſima eſt.

Cum memoria recolimus Bonum ab Alio homine præſtitum; Eum mox *Favore* proſequimur, tametſi is non fecerit noſtri gratia: at ſi nobis, favori conjungitur *Gratitudo*. E contra, Malum ab Alio patratum, cum ad nos non refertur, efficit ſolum ut illi indignemur: at cum refertur ad nos, commovet ad *Iram*, quæ ubi primo accenditur, dicatur *Excandeſcentia*; ac ubi ad determinationem viciſſim nocendi excreverit, migrat in *Vindictam*.

Quoties Aliorum de nobis opinionem perpendimus; Bonum quod nobis ineſſe credimus, diſponit ad *Gloriam*, quæ componi videtur ex propria Exiſtimatione, ac Lætitia; cauſſa quippe eſt Teipſum exiſtimandi, ubi videris te æſtimari ab aliis: Malum vero ad *Pudorem*, qui ſpecies quædam Modeſtiæ eſt,

aut Humilitatis, & propriæ Diffidentiæ; cum enim quis eo uſq; ſeipſum exiſtimat, ut imaginari nequeat ſe ab ullo contemni, non facile poteſt pudore ſuffundi. Et hoc quidem ordine, hiſq; de Cauſſis ſeu Occaſionibus gigni reputentur Paſſiones.

Verum enim vero, ex omnibus quas recenſuimus, ſunt Sex tantum, quæ pro *Simplicioribus* haberi merentur; *Admiratio* nimirum, *Amor, Odium, Cupiditas, Lætitia,* & *Mæror:* Cæteræ autem omnes vel componuntur ex quibuſdam harum Sex, vel earum ſunt ſpecies. Quamobrem, ne multitudine earum Lectoris animum opprimamus, de effectibus quos unaquæq; ex his ſex ſimplicioribus habeat in ſpiritus & ſanguinem, in ſequentibus tantum agemus.

25. In *Admiratione,* qua Anima fertur in attentiorem contemplationem Objecti, quod ipſi videtur novum, ſeu inſolitum, ſummaq; proinde conſideratione dignum; Spiritus Animales quidem ſubito magnaq; vi determinantur, partim in eam cerebri partem, ubi ſimulachrum objecti noviter depictum eſt; partimq; in Muſculos eos, qui inſerviunt retinendis ſenſuum externorum organis in eodem ſitu, in quo ſunt, ut objectum clarius percipiatur: in ſanguine vero cordeq; nulla omnino contingit mutatio. Et ratio eſt; quod cum Anima tunc non habeat bonum vel malum pro ſuo objecto, ſed ſolummodo cognitionem rei, quam admiratur; ipſa omnem vim ſuam convertit ſolummodo in Cerebrum, in quo ſunt organa ſenſuum, quorum

quorum ope hæc cognitio acquiratur. Cæterum Exceſſus Admirationis nonnunquam inducit *Stuporem*, ſive Morbum Attonitum, qui vulgo dicitur *Catalepſis*; quiq; nunquam niſi ſanitati inimicus eſſe poteſt. Efficit enim, ut omnes Spiritus Animales adeo ſint occupati in contemplanda conſervandaq; objecti imagine, ut eorum in reliquum corporis influxus prorſus intercipiatur, nec ullo modo deflecti poſſint à primis veſtigiis, quæ ſequuti ſunt in cerebro: unde fit, ut totum corpus, quaſi *Catoche* repentina occupatum, rigidum ac immobile maneat inſtar ſtatuæ. Cujuſmodi forſan fuit admirandus ille Affectus, quem depingit *Tulpius (cap. 22. Obſervat. Medicar. lib. 1.)* in Juvene quodam Britanno, qui ex inopinata matrimonii vehementer concupiti repulſa, Catoche quaſi congelatus, obriguit inſtar ſtipitis, inq; eodem ſitu per integrum diem remanſit.

26. In *Amore* (quo incitatur Anima, ad ſe voluntate conjungendum objectis, quæ ipſi videntur bona & convenientia) cum ſolus eſt, i. e. cum neque importunæ Cupiditati, neq; Lætitiæ vehementiori, nec Triſtitiæ demum aſſociatur; Spiritus è cerebro per ſupra deſcriptos Nervorum ſexti paris ramulos deducuntur in ventriculos Cordis, & ſanguinem ingreſſi, mox efficiunt, ut is ob majorem calorem exinde in ſe accenſum, pulſum cordis intenſiorem, robuſtioremq; conſueto reddat, placidum calorem in præcordia diffundat, indeq; ad cerebrum copioſe tranſmiſſus, ſecum eo deferat ſpiritus paulo fervidiores; qui corroborantes ideam, quam prima

de-

de objecto amabili formavit cogitatio, Animam quaſi cogunt immorari in illa cogitatione, eidemq; continenter indulgere: atq; in hoc, noſtro quidem judicio, potiſſimum conſiſtit Affectus Amoris. Id quod ex præcipuis ſymptomatis, quæ paſſionem hanc comitari ſolent, innoteſcat facillime: quippe qui Amore afficiuntur, pulſum habent æqualem quidem (ſpiritus enim æquali placidoq; motu in cor immittuntur) validiorem tamen frequentioremq; ſolito; calorem quendam ſuavem ſentiunt in pectore diffuſum; cerebro ſupra morem calent, adeoq; fiunt ingenioſi; & nedum ciborum concoctionem, aſt & omnia alia vitæ munera promptius alacriuſq; expediunt. Quæ omnia ad feliciorem Sanguinis Circulationem, ex ſpirituum dicto influxu, haud immerito poſſint referri. Ut palam fit, hunc affectum eſſe conſervandæ valetudini ſummopere utilem; dummodo modum non prætergrediatur. Sin contingat vero, ut eum diu comitetur *Deſiderium* effræne; tum, membra ſenſim enervando, univerſo corpori ſummum inducit *Languorem*. Nam Amor adeo impenſe occupat Animam in conſideratione objecti concupiti, ut adhibeat ſpiritus omnes, qui cerebro inſunt, ad ejus ideam continuo ſibi repræſentandam: unde univerſum genus Nervoſum, Muſculiq; omnes, influxu Animali quo debebant continuo vigorari, defraudantur.

27. In *Odio* (quod directe opponitur Amori; utpote quo commovetur Anima, ad ſe voluntate ſubducendum ab objectis, quæ illi offeruntur ut noxia, ſeu moleſtiam paritura) ſpiritus quaſi comprimuntur,

Digitized by Google

primuntur, & retrahuntur verſus præcipuam Animæ ſedem, ut corroborent ideam odii, quam formavit prima de objecto, quod averſamur, cogitatio, Animamq; ad cogitationes acerbitatis atq; amaroris plenas diſponant; adeo ut eorum perpauci, iiq; inordinate ac inæqualiter deducuntur in ſanguinem ventriculos cordis perfluentem. Unde fit, ut pulſus reddatur inæqualis ac debilis, & ſæpe frequentior ac vermiculans; frigus item, neſcio quo calore aſpero & pungente mixtum, ſentiatur circa præcordia; quinetiam ſtomachus quoq; ipſemet ab officio concoquendi ceſſet, inq; nauſeam & evomendos cibos jam aſſumptos, aut ad eos ſaltem corrumpendos, evadat proclivis. Quæ quidem omnia fidem faciunt clariſſimam, odium eſſe poſſe nemini frugiferum; nempe cui pro comite ſemper adeſt *Triſtitia*; quodq; ſanguinem, aliorſum avocatis ſpiritibus, debito ſuo calore ſpoliat, ejuſq; motum ac diſtributionem retardat; eiſq; de cauſſis Concoctionem labefactat, humores incraſſat, ſuccum melancholicum exaggerat, totumq; corpus in marcorem pedetentim inducit. Cæterum hæc paſſio nonnunquam exaltatur in *Iram*, qua Anima, ob malum acceptum, ſe primo quidem contrahit, mox autem præ vehementia reſilit, & in vindictam, ſive ad viciſſim nocendum quaſi prorumpit: tumq; efficit, ut ſpiritus nunc extrorſum in cor & ſanguinem, nunc introrſum verſus cerebrum tumultuoſe ac ſummo cum impetu rapiantur; conſequaturq; adeo ex ejuſmodi motibus contrariis, tum cordis agitatio, palpitatio, fervor, anxietas ſive angor; tum ſanguinis diffuſio, venarum diſtentio, & faciei,

maxime

Digitized by Google

maxime vero oculorum rubor; tum miſta quaſi ex riſu, ac fletu, oris diductio, dentium compreſſio, &c. Ut liquido conſtet, eſſe Iram nemini, niſi ex temperamenti frigiditate ſomniculoſis & inertibus, ſalutiferam. Ea quippe ſpiritus primum, dein ſanguinem, reliquoſq; corporis ſuccos inflammat, & plerunq; in Ephemeram, vel in Synochum derepente agit; aut ſi cacochymia ſubeſt, in putridam febrem, in alioſq; ex bilis fervore, & ex humorum confuſione morbos. Quidam etiam Ira commoti, quaſi Attoniti ac extra ſe poſiti videntur. Sunt præterea, qui impotenti ira impetuoſius concitatos Apoplexiam incidiſſe multos; nonnullos vero Furore, Comitialis morbi acceſſione, Paralyſi, Convulſione, Podagra, & Articulorum maxime, ac totius corporis Tremore comprehenſos, concidiſſe tradunt.

28. In *Cupiditate* (qua Anima ſic effunditur in bonum, ceu aliquando futurum repræſentatum, ut ob illius retardationem ſtatim quaſi contrahatur) hoc ſingulare occurrit; quod violentius cor agitet, pluresq; cerebro ſuppeditet ſpiritus, quam ulla alia è paſſionibus. Ex *Deſiderio* enim obtinendi quod ardenter concupiſcimus, ſpiritus è cerebro celerrime tranſmittuntur in omnes corporis partes, quæ poſſint actionibus eò requiſitis quodammodo inſervire; potiſſimum vero in cor & ſanguinem in eo contentum, quo is ſupra conſuetum dilatatus, celeriuſq; motus, majorem ſpirituum copiam denuo mittat ad cerebrum, tum ut ibidem conſervent corroborentq; ideam hujus deſiderii, tum ut inde de-

ducantur

Digitized by Google

ducantur in organa ſenſuum, inq; omnes muſculos, quorum motus ſpecialius conducant ad obtinendum quod deſideratur. Et ex *Sollicitudine*, quæ ob dilationem fruitionis ſimul excitatur, iidem ſpiritus cerebrum verſus ex intervallis retrahuntur: unde ſubtiliore ſanguine ab externis uſq; partibus ſimul evocato, cor quaſi coanguſtatur, circulatio ſanguinis retardatur, & per conſequens totum corpus languidum relinquitur. Ut nemini mirum videri debeat, quod plurimi ex eis, quos φιλογύνεια, ſeu Cupiditas Erotica, Ambitio, Avaritia, aut aliud ferventius Deſiderium diu exercuit; in ſummum corporis languorem, in Cachexiam contumacem, quinimo in Atrophiam, & in Marcorem, in alioſq; frigidos morbos, ex diuturna animi ſolicitudine fuerint deducti.

29. In *Lætitia* (quæ jucunda videtur commotio Animæ, de fruitione boni, quod impreſſiones Cerebri ei repræſentarunt ut ſuum, ſibi impenſe gratulantis, & præ voluptate quaſi geſtientis.) Spiritus è Cerebro in Cor ac ſanguinem copioſe, motu tamen placido & æquali, effuſi, efficiunt, ut hic illius orificia conſueto magis aperiens ac dilatans, liberius celeriuſq; circuletur; adeoq; ſpiritus cerebro copioſius demum ſuppeditet, qui cum ſint ex puriſſimo optimeq; fermentato ſanguine educti, apti ſunt firmandis impreſſionibus, quæ dant Animæ cogitationes lævas & tranquillas. Hincq; contingit quidem, ut tum pulſus evadat æqualis & frequentior, nec tamen æq; intenſus ac fortis, quam in Amore; tum ſentiatur calor quidam gratus, non ſolum per

pulmonem pectuſque, ſed per omnes etiam exteriores corporis partes, unâ cum ſanguine, qui eo copioſe affluere cernitur, diffuſus. Hæc autem commotio atq; effuſio adeo vehemens repentinaq; eſſe poſſit; ut exturbata Anima, impotens fiat ad loquendum, regendumq; corpus: adeo ut etiam Lipothymia, ac Mors interdum ex Gaudio profuſiori ac inſolenti conſequatur; quod nonnullis obtigiſſe memoriæ proditum eſt. Ita Lacon Chilo inſignis Philoſophus, ſubito expiravit, cum filium victorem Olympici certaminis cerneret. Ita Sophocles, & Dionyſius tyrannus victoria tragica rapti ſunt. Cujus rei ratio in eo conſiſtere videtur; non quod Lætitia extrema ſpiritus caloremq; tam vehementer è corde in ſumma corporis effundat diſſipetque, ut id caloris beneficio prorſus deſtitutum, vel ſyncope, vel morte repentina corruat; quemadmodum voluit *Fernelius*: ſed quod ſanguinem impenſius dilatando, in cauſſa ſit ut is, apertis extraordinarie orificiis Cordis, tum è vena Cava, tum ex arteria venoſa, illud ſubeat tanto impetu, eaq; copia, ut ibi non poſſit fermentari ac agitari ſat cito â ſpiritu vitali, ad retrudendas valvulas, quæ in corde ſunt; qua ratione ſuffocat Flammam vitalem, quam conſervare ſolet, cum cor non ſubit niſi ad menſuram.

30. Deniq; in *Triſtitia* (quæ videtur Languor quidam Animæ ingratus, ex opinione mali præſentis exortus, & quo ipſa commovetur ad ſe quaſi contrahendum, ut illud effugiat.) Spiritus intro quidem, ſed paulatim impetuq; nullo, revocantur, ita

ita ut ſanguis ſufficienti eorum influxu deſtitutus, nec ſat agitatus, lento nimis motu cor pertranſeat: unde fit, ut pulſus parvus, tardus, rarus, & imbecillus evadat; utq; quaſi vincula ſentiantur circa cor, quæ orificia ejus coarctant, ac veluti ſtiriæ, quæ ſanguinem congelant, frigiditatemq; ſuam reliquo corpori communicant. Ex quibus haud difficile eſt colligere, hanc Affectionem, maxime ſi vehementior ac diuturnior fuerit, quamplurima, eaq; graviſſima incommoda corpori inferre. Nam, extra hoc, quod ſpiritus obtenebrat, eoq; nomine ingenium hebetat, rationem impedit, judicium obſcurat, & memoriam obtundit; ſanguinem etiam refrigerando incraſſat, eaq; ratione cor immodice conſtringit, biolychnium obterit & offundit, vigilias ſiccitate inducit, ſuccum nutritium corrumpit, & inſignem Melancholiæ proventum exaggerat. Quibus ex cauſſis, corpus pallore defædatur, ignavia torpet, Atrophia liqueſcit, & in Marçorem, in aliosq; frigidos morbos præceps ruit. Id quod *Salomon cap.* 17, *Proverbiorum ſuorum* palam atteſtatur; ubi, *Spiritus triſtis*, inquit, *exſiccat oſſa*. Rariſſime tamen compertum eſt, quemquam ex Mœrore vel intenſiori, atq; ex inopinato occupante, incidiſſe in Lipothymiam, aut derepente ſublatum fuiſſe: idq; horſum arbitramur referendum, quod non poſſit tam parum ſanguinis ineſſe cordis ventriculis, quin ſufficiat ad conſervandam Flammam vitalem inibi micantem, cum illius orificia ferme clauſa ſunt.

 His

Digitized by Google

31. His autem de effectibus harum Sex Paſſionum, quas ſolas ſupra ſtatuimus pro *Simplicibus* accipiendas, dictis ; fruſtra nobis videtur, *cæterarum* porro, quas ſingulatim atq; ex ordine enumeravimus, contemplationi inhærere. Quæcunq; enim numerantur aliæ perturbationes Animi, in hæc quæ diximus Genera conjiciendæ ſunt : utpote quæ vel ex quibuſdam horum componuntur, vel eorum diverſæ ſunt ſpecies. Ne igitur aut nequicquam laborare, aut penſi parum meminiſſe videamur ; de Animi Pathematis, & quibus ea modis nos immutare, inq; morbos conjicere poſſunt, dicta hæc ſint.

Ex-

Exercitatio IX.

De variis Excretorum *ac* Retentorum *vitiis, unde ſuccreſcant Morbi.*

SUMMARIUM.

ART. 1 Introductio, *unde ſit, ut Succorum nutriendo corpori utilium Retentio inutilium vero Excretio ſit ad vitam neceſſaria; ſubinnuens.* 2 *Quot ſint eorum, quæ debent excerni,* Genera. 3 Ratio Generalis. *cur Excrementa præter morem coercita œconomiam corporis perturbent.* 4 *Item, cur omnis immodica, repentinaque vacuatio ſanitati pariter incommodet.* 5 *Nocumenta* Fæcum Alvi; 6 Urinæ: 7 Sudoris *&* Tranſpirationis inſenſibilis; 8 *Item* Bilis; 9 *Humoris in* Pancreate *ſequeſtrati*; 10 *Secrementi in* Renibus Succenturiatis *reperti*; 11 *Phlegmatis* Acidi *in ventriculo*; 12 Inſipidi *in Inteſtinis*; 13 Pituitæ è *Cerebro in palatum & nares ſtillantis*; 14 Salivæ è *Glandulis ſublingualibus*; 15 Mucci *Tonſillarum*; 16 *Liquoris* Lymphaductuum; 17 Lachrymarum; 18 Ceruminis *Aurium*; 19 Catameniorum *in Fœminis*; 20 Seminis *in utroq; ſexu*; 21 *&* Lactis *deniq; in Nutricibus.*

PRoxime ſequuntur perpendenda, quæ *excernuntur* ac *ſubſiſtunt* præter naturam; his enim nulla cauſſa eſt efficacior ad morbos. Nam, quum in ſubſtantiæ iſtius, quæ de ſingulis corporis noſtri partibus effluxu perenni decedit, reſarcitionem, novi alimenti ſubſidio dietim opus ſit; atq; in ipſa alimentorum concoctione, neceſſario aliquid Excrementorum in dies ſuccreſcat: quamdiu quæ in partium alimoniam cedere debent, in corpore retinentur, quæ vero naturæ legibus è corpore dejici exterminariq; ſolent, qualia, quantum, & quando oportet, procedunt; viget utiq; ſanitas, & corpus, quaſi ſarcina levatum, robuſtius, adq; functiones aptius ex ſingulis paſtibus efficitur. Verum ſi ſucci utiles præter naturæ inſtitutum evacuentur; mox dejiciuntur vires, parteſq; genio ſuo defraudantur: aut ſi Excrementa, quæ debent evacuari,

evacuari, ſupra modum ac tempus conſuetum retineantur; morbi illis cognati exinde ſuboleſcunt.

2. Naturæ legibus ad vitam neceſſariæ vacuationes ſunt. (1) Alvi dejectio. (2) Urinæ è renibus & veſica profuſio. (3) Sudor vel univerſi corporis exhalatio. (4) Bilis acrioris & amarulentæ è folliculo ſuo effuſio. (5) Humoris cujuſdam inſipidi ac anodyni è Pancreate deſtillatio. (6) Liquoris cujuſdam item peculiaris è Renibus ſuccenturiatis amandatio. (7) Phlegmatis Acidi è ventriculo. (8) Et Inſipidi ex Inteſtinis. (9) Muci è Cerebro per nares, & è Glandulis pituitariis per palatum. (10) Salivæ è Tonſillis, & Glandulis ſublingualibus (11) Ceruminis ex auribus. (12) Et Liquoris deniq; è Lymphæductibus excretio. Aliæ quidem non ſimpliciter, ſed vel in tempore, vel ex conſuetudine neceſſariæ ſunt; ut Hæmorrhoidum Menſiumq; eruptio periodica; item expectoratio ſputi è Pulmonibus, Lachrymarum quoq; è Carunculis lachrymalibus, Lactis è Mammis, & Seminis è vaſis ſpermaticis profuſio. Dantur forſan & aliæ, quarum exacta adhuc deſideratur notitia. Credibile ſiquidem eſt, tot eſſe Excretorum ſpecies infimas, quot ſunt diſtincta Parenchymata, aliæque partes ad ejuſmodi munus in corpore deſtinatæ: cum durum ſit imaginatu, Naturam ſibi fabricaſſe diverſæ conformationis organa, diverſiſue uti, ad unum idemq; munus obeundum. Credamus itaque, tot eſſe præter naturam Retentorum differentias, quot ſunt genera partium excretioni ſpeciali in-

inſervientium: & ſimiliter dari tot genera vitioſæ Excretionis, ſive nimiæ, ſive imminutæ, ſive demum depravatæ; quot ſunt viæ diverſæ, per quas excretio fieri debeat. Sed cognitis ſolummodo hic inſiſtemus.

3. Quandocunq; contingit, ut quodvis eorum, quæ diximus, aut plane *ſubſiſtat*, aut parciori quam par eſt quantitate, modoq; ac tempore indebito excernatur; neceſſum eſt, ut œconomia corporis perturbetur: idq; magis vel minus, pro ſuppreſſi Excrementi natura, proq; dignitate partis, quam præcipue inundarit. Siquidem nulla non rejectaneorum redundantia, naturæ moleſta atq; gravis, Morborum ſit materia. Hæc enim plerumq; calorem nativum, primarium in ſingulis coctionibus Efficiens, mole ſua nimiopere vel premunt, vel obruunt: unde illius Functiones periclitantur omnes. Nonnunquam putredinem, alienaſq; pravas qualitates ſibi ſenſim contrahentia, eas aliàs ſanguini, aliàs Succo Nutritio, adeoq; ipſis etiam partibus ſolidis communicant imprimuntque: unde Cachexiæ, emendatu difficillimæ, ſuccreſcunt. Nonnunquam vias publicas, corporiſq; ductus obſtruentia, aut Succi alimentaris diſtributionem, aut Nectaris vitalis Circulationem cohibent atq; impediunt: quorum ex utrovis ilias malorum conſequatur.

4. Immodica porro, repentinaq; *Vacuatio*, etiamſi eorum ſit, quæ deſiderant foras excludi, procreatrix eſt morborum fertiliſſima. Hac quippe vires

vires uſq; adeo ſæpe diſſolvuntur, ut ſimul Anima deficiat: quandoquidem cum ſupervacaneis non parum Spiritus, ac proinde caloris vitalis unà exhauritur; unde tum Naturales, tum Animales functiones protinus langueſcunt, & crudi ac frigidi morbi emergunt. Conſultiſſime igitur ab *Hippocrate* dictum eſt, *Plurimum atq; repente evacuare, periculoſum eſſe & naturæ inimicum; maxime ſi inſuetum id eſt*. Hincq; cenſuit idem venerandus ſenex, *Hydropicos aut in pectore ſuppuratos, qui uruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua univerſim ſimul effluxerit, omnes commori*. Cujus Aphoriſmi ratio fundari in hoc videtur, quod immutetur ſubito omnium viſcerum habitus ac poſitio, quæ mole contenti humoris prius turgebant; & puris aut ſeroſæ colluviei acrimonia tenerrima vaſa reddita, facile dehiſcant, quo tegmine confeſtim abducto, ruunt ſpiritus foras, iiſq; diſſipatis, & motu cordis proinde fatiſcente, ingruit ſyncope, utplurimum lethalis: ſed de Excrementorum, quæ ſupra enumeravimus, præcipuis; & qua ratione ſingula morbos invehere poſſint, ſpeciatim diſquirendum eſt.

5. ***Ex Alvi adſtrictione***, quot quantaq; ſuboriri ſolent ſanitatis incommoda, vel Tyronibus & Æſclepiadeæ familiæ noviter initiatis perbelle notum eſt. Illinc nempe vaporibus tetris caput tentatur, corpus ingraveſcit, ventriculi & concoctio offenditur, & appetitus dejicitur, ac reliquæ functiones deteriores evadunt. Illinc Inteſtina non paucis diriſq; ſymptomatis torqueri ſolent; quorum præcipua ſunt, Dolor tum Colicus, tum Iliacus, miſe-

rabilis

rabilis Ileus (quem ſæpe committit inteſtinum, ſi cum reſiccato ſtercore vel in ſcrotum, vel in diſruptum umbilicum procidens, retrudi nequeat) & diu fatigans Teneſmus. Quod ſi fæces præterea putreſcant, fætore & prava qualitate ſic univerſum corpus inquinant, ut etiamſi illarum decurſus redeat, ſæpe tamen inquinatum corpus è vivis excedat.

6. Nec minus conſpicua ſunt *Urinæ* ſuppreſſæ nocumenta. Si quando enim purgamentum illud ſeroſum, quod Urinæ materiam conſtituit, aut non probe â ſanguine in Renum parenchymate ſeparatur, aut obſtructo Ureteris capite cohibetur: id ſenſim vel per Emulgentem in venam Portæ redundans, univerſam ſanguinis maſſam ſeroſa ſcaturigine inquinabit (unde Cachexia ſeroſa, Leucophlegmatia, & nonnunquam Hydrops etiam; diſruptis ſcilicet per diſtenſionem Lymphæductibus: quam cauſſam ſubinnuiſſe forſan reputetur *Hippocrates*, quum ait, *Quibus Hepar aqua plenum eruperit; iis venter aqua repletur.*) Vel ea ſede congeſtum, ilia lumboſq; copia diſtendet, è quibus etiam diu multumq; deſtillans, in capacitatem Abdominis denuo illabitur, Aſcitem facile inducturum. Hujus copia interdum vidimus totam ventris, Lumborumq; regionem diſtendi, & (quod adhuc magis mireris) ſerum tum dejectione, tum vomitione reddi ſincerum. Deinde, quum obſtructa vel coanguſtata veſicæ cervix Urinæ effluxum ſiſtit; aſſiduum meiendi deſiderium illico premit, ſummuſq; ſed irritus conatus eſt, venter â

pube uſq; ad umbilicum collectæ Urinæ copia diſtenditur, & diris cruciatibus dolet; halitus ex putreſcente lotio teter admodum & fætidus expiratur, quem frequens conſequitur animi languor & defectio, principio quidem levis citoq; evanida, deinde vero ſudore frigido erumpente gravior & periculoſior: quibus tandem crebro violenterq; preſſus æger miſerrime ſuccumbit.

7. His autem nec pauciora, nec mitiora quidem inducuntur mala ab impedita *Diaphoreſi*; quam in eum finem inſtituit natura, ut excrementum ſanguinis ſeroſum (exigua ſalis portione impregnatum, nec ſoluto ſulphure prorſus deſtitutum) unà cum deraſis emortuiſq; partium ſolidarum particulis, ex habitu corporis, per inconſpicua cutis ſpiracula, vaporum ſpecie continuo exhalent. Circa hujus ſuppreſſionem igitur advertimus; quòd cum Excrementa ſanguinis, quæ ad dictum modum per cutim evaporari deſiderant, ſint duplicis generis; alia nimirum Tenuiora & Aquoſa, quæ (velut vapores ex aqua Thermarum, aut è fermenteſcente vino effluvia) à ſanguinis liquore in arteriis quaſi ebulliente, perenni exhalatione avolant; Craſſiora autem & Sulphurea alia, quæ, tanquam cineres ab incendio reſidui, fæceſve vini poſt fermentationem ſubſidentes, à ſanguinis maſſa pariter ſecerni debent: ſi Horum alterutrum, aut (quod ſæpiſſime fit) utrumq; intus cohiberi contingat, vix fieri poteſt utique, quin inſignes exinde conſequantur in ſanguine tum corruptiones, tum perturbationes. Ut res ſpecialius dicatur; propter iſtiuſ-
modi

modi effluvia cohibita, ſanguinis maſſa, mole aucta, protinus turgeſcit, velutiq; novo inſpirata fermento, fervorem concipit; qui nondum deflagrato illius ſulphuri mox communicatus, febriles effervescentias & tumultus accendit. Quemadmodum enim Vina, vel quando aliquid heterogeneum, nec Unitionis aſſimilationiſq; capax (cujus ſortis ſunt adeps, butyrum, oleum, cæteraq; pinguia doliis infuſa) iis ſuper-affuſum eſt; vel quando fæcibus propriis, ſeu Tartaro nimis opulento diteſcunt, ſponte fervores concipiunt, immaniterq; adeo ferociunt atq; ebulliunt, ut doliorum aut ora excedunt, aut latera diffringunt: ita ſimiliter & ſanguis, ſive ob excrementorum confuſionem, ſeu ob ſulphuris redundantis ac inhibiti efferationem, ultra modum effervefcit, & fermentatione præternaturali tumultuoſe agitatus, vaſa diſtendit, pulſum celeriorem excitat, & ceu liquor ſulphureus concepto incendio, calorem adurentem quaquaverſus diffundit. Hancq; rationem eſſe arbitramur, quur frequentiſſime Febres per Διαπνοὴν impeditam accenduntur. Ab hac enim primum inflammantur ſpiritus & ſulphur, ac tum ſanguis univerſim incaleſcit. Hujus quippe tenues acreſq; vapores, ac ipſum calorem præter naturam Cutis denſitas aut adſtrictio cohibet, nec prodire ſinit; qui geminatus ſanguinem inflammat, & nonnunquam quoq; corrumpit. Porro, haud raro evenit, ut Latex ſeroſus (liceat nobis hoc vocabulo uti, non tantum tanquam recepto, ſed tanquam uſitato â Recentioribus) poſt varias cum ſanguine circulationes, ex arteriolarum extremis in habitum corporis effuſus,

ibidemq; denſatâ cute repreſſus atq; collectus; in carnes muſculoſas, Cerebri membranas, nervoſumq; genus copioſe redundet; eoq; pacto, Capitis gravedini, Coryzæ, Catarrho, Rheumatiſmo, aliiſq; id genus affectibus & ortum præbeat, & ſcaturiginem. Nonnunquam eruptiones Sulphureæ, ſive biliosæ, per poros exitum ſibi quærentes, intra cutim detentæ, viq; frigoris aut auræ ſubito admiſſæ ſuppreſſæ atq; obſtructæ, in acres & igneos halitus degenerant, cum multa materia ſalſa & aduſta in orbem quaſi ſe cogunt & conglomerantur, pertinaciterq; ad plures menſes ſæpe cuti adhæreſcunt: & tunc quidem perverſam & alienam prorſus naturam induunt; unde Impetigines, Scabies, Herpetes, &c. non ſine cruciatu, maximoque ſcalpendi ardore ac pruritu utplurimum infeſtantes. E contra vero *Sudor immoderatus,* ut & *Diaphoreſis nimia,* diſſipat vires, & una eliquat partes, imprimis externas, atq; diſcuſſis ſpiritibus inſitis, facile frigidam poſt ſe relinquit intemperiem. Requiritur enim ad juſtam caloris partium excitationem, vigorationem, & conſervationem, debita quædam Lucta exhalationum inter tranſpirandum. Quæ, ſi deficiat, calor actualis quoq; (quem in ipſa hac lucta ex parte conſiſtere, ſupra diximus) debilis valde ac languidus evadit, parteſq; frigidæ intemperiei prompte exponuntur.

8. Verum jecinoris officium eſſe, ſanguinem è Vena Portæ excipere; ab *Humore Felleo,* qui eidem commiſcetur, per colaturæ modum elutriare; depura-

depuratumq; in venam Cavam deducere, dum bilis per alias peculiares vias, partim in Porum bilarium, partim in Cyſtim felleam, ſenſim deponitur: hodie notius eſt, quam ut heic dici debeat, aut prolixe demonſtrari. Palam itaq; eſt, quod ſi ſanguis ab excremento hocce ſulphureo ac amarulento, in parenchymate hepatis, probe non depuretur; ſit neceſſum, ut is â requiſita ſua puritate, atq; nitore confeſtim deficiat, tincturaq; fellea profunde contaminetur. Hinc autem graviſſima mala prodeunt. Bilis nempe cum ſanguine in ſummum corpus effuſa Ictero cutim deturpat; & ſi quando forte computreſcat, aut ferociat, Febres accendit ardentiſſimas. Etenim Sulphur nimis exaltatum, & plus debito turgeſcens, maximas in ſanguine efferveſcentias concitat: hincq; contingit, eos eſſe febribus maxime obnoxios, quorum ſanguis ſulphure uberius imprægnatur. Eadem porro, â ſanguine ſeparata quidem, propriis tamen conceptaculis, Poro bilario ſcilicet, & Cyſti fellea, diutius coercita, nec tempeſtive evacuata; interdum in calculos obdureſcit, incurabilem Icteritiam parituros; interdum cum ingenti impetu foras erumpens, perq; Ductum communem ſibi exitum quærens in inteſtina, aut bilioſas vomitiones, aut choleram morbum, aut Diarrhæam, aut Dyſenteriam inducit.

9. Conſimilis fere malitiæ eſt diutius ſubſiſtens *Pancreatis Excrementum*, veteribus prorſus ignotum, & â *D. D. Whartono*, Doctiſſimo noſtro Collega, non ita pridem feliciter inventum, fuſeque deſcriptum, in accuratiſſima ſua Adenographia.

Ubi

Ubi multis rationum momentis aſſerit *vir clariſſimus*, genuinum Pancreatis Uſum eſſe, humorem quendam inſipidum, craſſum, lenem, atq; anodynum, excrementitium tamen, nec ſanguini commiſcendum, ex Nervorum *ſexti paris* ramulis, cum nonnullis ſpinalis medullæ propaginibus in *Plexu ſuperiori* Abdominis Unitis, excipere, perq; *Ductum Virſungianum*, vas ſuum proprium, in Inteſtina deducere; ut exinde unà cum humore Felleo & fæcibus alvi foras amandetur. Hoc autem conceſſo, videtur utiq; veroſimillimum, quod hic humor excrementitius, ſi aut in ipſo Pancreatis parenchymate, aut in Ductus Virſungiani capillaribus, præter naturæ morem ſubſiſtat; diverſi generis affectibus, iiſq; graviſſimis, ortum dare poſſit. *Parenchymate* quippe obſtructo, neceſſe eſt, ut humor â Nervis rejectus, ibidemq; ſenſim congeſtus, ſanguinis transfluxum impediat; eoq; nomine, primum laxum quidem mollemq; Tumorem, deinde vero ſicceſcens renitentem ac vere Scirrhoſum ingeneret. Cujus naturæ ac originis forte fuere ſtupendi illi Tumores, quos *Cl. Riolanus* in cadavere *Illuſtr. Auguſt. Thuani*, & *Fabric. Hildanus* in Fabro quodam lignario, poſt mortem diſſecto, ſe inveniſſe commemorant. A nobis etiam ipſis (recordamur) in Virgine quadam inveteratam Chloroſin patiente, Tumor in Pancreate durus uſq; adeo olim deprehenſus eſt, ut penitioribus ſub umbilico partibus vel os, vel calculus concreviſſe putaretur. Sin autem *Ductus Pancreatici* emphraxis eveniat; tum Excrementa alvi nimia acrimonia æſtuant, ob defectum miſturæ lenioris hujus humoris:

humoris: dum is regurgitat in univerſum corpus, quod inde ignavia, torpore, ſummaq; ad motum ineptitudine afficitur; quemadmodum videre eſt in Ictericis, quibus ductum hunc ſemper obſtructum eſſe, experimentis Anatomicis pro certo adſtruit *Solertiſſ. Whartonus*.

10. Qui criminibus veris oneravit quoq; *Secrementum illud Aquoſum*, quod è Liene, per Funiculum Nervoſum, in Glandulas Renales, *Renes Succenturiatos* à *Caſſerio Placentino* dictas, importari, in earum ſubſtantia à ſucco quodam Utiliori ſeparari, indeq; per peculiarem cavitatem dextro latere in venam Cavam, ſiniſtro in Emulgentem; conſpicuo valvulaq; munito oſtiolo pateſcentem derivari, ceu nervoſo generi inutile, venoſo autem proficuum, deponi opinatur. Nam (ut ejuſdem verbis utamur) ſi conjecturæ locus ſit, crederemus Glandularum harum obſtructionem, ex parte ſaltem, cauſſam eſſe poſſe Seroſæ illius colluviei, quæ nervoſum genus debilitat, tonumq; partium fibroſarum enervat. An vero hæc eadem ſit colluvies ſeroſa, de qua tam copioſe ſcripſit *Carolus Piſo*; non pertinaciter aſſeruero: quanquam haud improbabile videatur, ejuſdem vel conſimilis generis eſſe. Etenim ſi concedatur, Glandulas haſce Renales deſtinari ſecretioni inutilis & ſeroſi humoris in Nervos deducti; ſiq; ſuo aliquando non recte fungantur officio: ſequitur neceſſario redundantia & colluvies ſeroſa in nervoſo genere, quæ non tantum Nervos ipſos laxet, ſed & fibroſas totius corporis partes enervet, multorumq; morborum ſeminarium fiat.

11. Re-

Digitized by Google

11. Reperitur in *Ventriculi* cavitate *Mucus* quidam *pituitoſus*, ovorum albumini conſiſtentia haud multum diſſimilis, Acoreq; inſigni aculeatus; quem è Cœliacæ arteriæ ramo ſtomachico in ventriculi tunicas effuſum, ibidemq; â ſanguine ſequeſtratum, eo demum perduxit Natura, ut & Appetitum excitet, & ciborum tum diſſolutionem (fermenti inciſorii inſtar) tum concoctionem adjuvet. Hic autem, ſi aut in Arteriæ dictæ capillaribus, aut in ipſius ventriculi tunicis impactus, præter morem ſubſiſtat; haud contemnenda mala inducit. Quippe in priori caſu, ex emunctioribus Circulationis Harvæanæ cultoribus neminem eſſe arbitramur, qui ibit inficias, quin neceſſario conſequatur, ut tota ſanguinis maſſa, â Phlegmate Acido, uti debuit, minime depurata, brevi contaminetur, incraſſetur, & aceſcat. Unde credibile eſt, contumaciſſimos illos affectus, Scorbutum ſcilicet, & Febrem quartanam ortum ſuum & fomitem trahere poſſe. Quoad *Scorbutum* enim; veriſimillimum videtur, eum â ſanguinis Μόλυνσει καὶ Απεψία, ob Phlegmatis Tartarei, i. e. Acido-ſalini admiſtionem immoderatam, potiſſimum oriri. Id quod ex ipſa Symptomatum Scorbuticorum genealogia, haud obſcure conſtet. Nam, cum iſthæc ſanguinis ſpurcities ſeu inſida defæcatio, in cauſſa eſt, ut crudiores, fixiores, tartareæq; ejus partes, deficiente Fermentatione vitali, nec ad ſtatum volatilitatis attollantur, nec ullo aſſimilationis vinculo invicem uniantur; ſed tanquam alienigenæ, inq; familiam unam coire abhorrentes, facile inter circulandum

culandum diſſocientur: ſingulæ eo damno mulctant humanum corpus, cui producendo ſua natura aptiores ſunt: Viz. Spirituum vitalium paucitas & torpor in ſanguine, torpidum reddunt corpus: unde Laſſitudo ſpontanea. Partes fluidæ & acres, propter immaturitatem ex arteriolis eructatæ, Nervos ubiq; vellicant, & quaſi lancinant, nec non molliores carnes corrodunt ac exedunt; unde Convulſiones, Gingivarum laxitas, & Ulcera: Craſſiores autem & tartareæ, oſſium membranis gravitate ſua atq; acrimonia moleſtiam ac dolorem inferunt; unde dolor ὀστόκοπος, ſive oſſa gravans, de quo tantopere conqueruntur è Scorbuticis plerique. Præterea, id Medicis experientia compertum eſt, quod Cordis Tremor ac Palpitatio ſolet in nullo alio morbô, quam in Scorbuto frequentius infeſtare. Cauſſam autem haud inconſulto forſan retuleris ad crudum, ſaleq; fixativo copioſe imprægnatum ſanguinem; cujus craſſiores particulæ, acerbitate ac aſpredine infames, dum nervoſas Cordis fibrillas in tranſitu acriter pungunt, id ad ſeſe conſueto violentius agitandum, undiq; vibrandum, & quaſi contorquendum, quo â moleſtia illa denuo vindicetur, irritant atq; exſtimulant: quomodo Sternutatio ac Pandiculatiȯ ex conſimilis aſperitatis humoribus, in anteriores Cerebri membranas, & panniculum Carnoſum delapſis, excitari ſolent. Ut ut ſe habeat hæc res, ex dictis interim clare liquet, unde uſu venit, nullum alium morbum tot, tamq; diverſis Symptomatis hominem obnoxium reddere; atq; Scorbutum; qui Morbus Πολύμορφος proinde, nec ſine ſontica

S cauſſa,

cauſſa, indigitatur. Sed revertendum eſt in viam.

Quod ad *Febrem Quartanam* ſpectat; pluſquam probabile fecit *Williſius* noſter (vir ſolidæ quidem eruditionis, & Philoſophiæ Spagyricæ myſteriis longa feliciq; ἐγχειρήσει exime verſatus; uti inſignis ille Liber, quem de Fermentatione & Febribus conſcriptum, non ita pridem in publicum emiſit, claram fecerit fidem) quod in ea ſanguis, dulci ſua, ſpirituoſa, balſamicaq; indole exutus, dyſcraſiam quandam acidam, penurioſam, nonnihilq; auſteram ſibi contraxerit: eo fere modo, quo Vinum ac Cereviſia, tonitru commota, fæceq; turbida infecta, ſuppreſſis ſpiritibus aceſſere perhibentur. Quodq; idem hoc pacto â nativa ſua puritate longe degener, & fæcibus acidis ad ſpirituum uſq; fixationem conſperſus, de novo affluentem chylum rite concoquere & aſſimilare minime valeat; ſed in liquorem extraneum corrumpat: qua cum ad plenitudinem ac turgeſcentiam in vaſis ſaturatur, conſequitur mox hujus materiæ fluor, velutiq; ſpontanea efferveſcentia, Acceſſionem febrilem cum rigore & calore inducens. Hoc autem ſuppoſito, ſupereſt inquiramus, Undenam iſthæc Calcanthina diatheſis ſanguini adveniat? & cujuſnam partis vitio potiſſimum conſcribi debeat illius Redundantia? Si ad figmentum illud vulgare, de Succo Acido â ſanguine in Lienis parenchymate ſeparato, indeq; in ventriculi fundum per vas breve venoſum refuſo, confugiamus; res ſane erit tenebrarum plena, nec ex errorum labyrintho unquam nos expediemus. Nam (ut animadvertere omittamus,

mus, quam ſpiſſa falſarum, ſibiq; invicem manifeſto repugnantium opinionum caligine verſati fuerint omnes, quotquot leviuſculas ſuas hactenus ſcriptis divulgarunt de Uſu Lienis hariolationes.) Acidiorem ſanguinis partem, Melancholiæ nomine vulgo inſignitam, in Lienem per Arteriæ Cæliacæ ramum ſplenicum, ſecretionis gratia, importari; affirmarunt quidem quamplurimi, gratis tamen omnes, nulla vel rationum, vel experimentorum vi in rei evictionem prolatâ. Ut merito mirari ſubeat, Undenam primi ſententiæ hujus Authores tam portentoſum inſomnium ſibi comminiſcendi, aliiſq; demum pro ſacræ veritatis dogmate divendendi anſam ſurripuerint. Maxime quum nemini Anatomicorum adhuc contigit, vel minima Aciditatis indicia in Liene deprehendère: è contra vero quilibet facto experimento facile cognoverit, ſanguinem in Liene, tum humano, tum brutorum, ejuſdem ſaporis ac dulcedinis eſſe, cum eo, qui in aliis corporis partibus reperitur; ipſeq; complurium Animalium ſplen, citra ullam melancholici ſaporis offenſam, non raro comeditur. Deinde, ex Circulationis Harvæanæ legibus pro indubitato conſtat, motum ſanguinis in vaſe brevi venoſo eſſe è ventriculo verſus venam Portæ, non vero â Liene ad ventriculum, quemadmodum hi ſupponunt. Sin ad ea vero, quæ de Generatione Excrementorum in Sanguine à nobis alibi (*viz. in Oeconom. Animal. Exercit. 6. & Artic. 3.*) dicta ſunt, reſpexeris; ſimulq; attento animo penſitaveris, quomodo quodlibet excrementum indebite retentum, inq; vaſa redundans, totam ſanguinis maſſam ſpurcitie

contaminet, & ſuis qualitatibus noxiis corrumpat: res erit quidem explicatu perfacilis. Phlegma nempe Acidum (quod è Cæliacæ arteriæ ramo ſtomachico in ventriculi tunicas eructari, inibi â ſanguine puriori elutriari, denuoq; in ventriculi capacitatem, excitandi appetitus ergo, tranſmitti debere oſtendimus) totum griphum nullo negotio perſolvat. Id enim, cum Acore eximio inſignitum ſit, ubi in venoſo genere conſueto magis redundat, ipſi ſanguini conſimilem qualitatem acidam, penurioſam, & in omnibus Calcanthinæ ſtypticitatis æmulam facillime impertiat; eoq; nomine Febri Quartanæ cauſſam continentem præbeat. Sed Diſquiſitio hæc alterius loci eſt, & fuſiori eget contemplatione.

Porro in caſu *Poſteriori*, ubi nimirum hocce ſanguinis rejectamentum, ipſis ventriculi tunicis impactum, ibidem ſtagnat, nec in ejus cavum pertranſit; fieri vix poteſt quidem, quin aut ventriculi Inflammationem (remoratâ ſanguinis Circulatione) aut Tumorem Scirrhoſum (qualem deſcribit *Forreſtus, lib.*18. *obſer.* 32.) aut Anorexiam cum Apepſia conjunctam, aut aliquod aliud conſimilis periculi nocumentum brevi ingeneret.

12. His quadantenus ſimilia profert incommoda *Phlegma emortuum*, ſive *Inſipidum,* intra Inteſtinorum tunicas coercitum. Nam, vel exinde per venulas Meſeraicas in venam Portæ abductum, corpus univerſum crudo, mucilaginoſo, albicanteq; ſanguine ſuffundit, inq; Leucophlegmatiam, ſeu (ſi dicere mavis) Cachexiam Phlegmaticam perducit:

Digitized by Google

ducit: vel ibidem ſtagnans, ſenſimq; copioſius collectum, aliàs quidem venulas eaſdem comprimendo, ſanguinis reditum impedit ac obſtruit, adeoq; Phlegmonem accerſit; aliàs Lacteas ſimiliter circumquaq; coanguſtando, Chyli transfluxum remoratur, eoq; pacto Atrophiam univerſalem committit; alias ipſa Inteſtinorum corpora diſtendendo, ac divellendo, dolores Colicos ciet, pali infixi vel perforantis terebelli ſpeciem præ ſe ferentes. Deinde, quum ex Inteſtinorum cavitatibus parcius id evacuatur; ſenſim auctum caloris vi ſic tandem craſſeſcit, ut prorſus obſtruens inteſtina quaſi infarciat, fiatq; latentium difficiliumq; morborum cauſſa. Cujus rei inſigni exemplo ſit Caroli Quinti Imperatoris Legatus quidam, qui (referente *Fernelio*) immani inteſtinorum dolore per plures annos torquebatur, nec non tumore â dextro Hypochondrio per ima ventriculi in ſiniſtrum exporrecto. Huic quum ſexennio toto remedii genus omne tanquam emolliendo ſcirrho adhibitum fuiſſet; injecto tandem acriori Enemate, durum ac firmum quippiam, medio ductu pertuſum, pedis longitudine detractum eſt; quod ille inteſtini portionem eſſe metuebat. Sed quum repente levatus videretur, adhibito conſilio, iterum, ac tertio clyſtere prolutus eſt, rurſuſq; ſimili evulsâ materiâ continuo priſtinæ eſt valetudini reſtitutus. De *Cl. Juſt. Lipſio* quoq; extat hiſtoria fere conſimilis, quam diſertiſſimis *Melchioris Adami* verbis annectere lubet. "Is diu tædioſiſſimo cum malo conflictatus, febrileſq; inſultus varios expertus, "ſumpto aliquando pharmaco materiæ commotæ

"onus

"onus excernens, percepit ingentem ſe copiam "alvo effundere, eamq; continuam & cohærentem. Intuetur *Lipſius*, quid rei ſit; videtq; "attonitus maſſam figura & colore inteſtina exprimentem. Conſternatus itaq; illico *Heurnium* "advocat; de vita ſua actum exclamans: Omnia "enim inteſtina ſe effudiſſe. Inſpicit alvi proluviem *Heurnius*, & læto vultu ad *Lipſium* converſus, *reſpice*, inquit, *trophæa de tuo morbo: hic focus & ſentina totius mali jacet*. Erat nempe lenta "& viſcida Pituita, paulatim in tota inteſtinali "fiſtula coacervata, â ſedentaria & in ſtudiis contabeſcente vita, ejus figuram referens: quæ putreſcens partibuſq; vicinis nobilibus noxam communicans ſentinam in totum corpus propagaverat. Sic fomite mali expurgato, recreatus eſt vir "clariſſimus, & ad priſtinam ſanitatem brevi rediit. Craſſior porro hæc Pituita in cæci aut coli inteſtini cellulis diutius coercita, nonnunquam concreſcit in calculos; quales ſæpe vidimus, inſtar nucis Myriſticæ, dolore nullo exturbatos. Hæc igitur mala concreſcens Phlegma inſipidum efficit; quo exuperante animus vireſq; languent, ventriculi cruditas adeſt, tardaq; alvi dejectio, flatus plurimus obmurmurat, venter friget, ac nonnunquam colicis cruciatibus dolet.

13. Nec ſemper deſunt iſti ſua crimina *Mucco*, qui è *Cerebri* ventriculis partim per nares, partim per palatum excernitur. Nam, cum indubitata Anatomiæ fide edocti ſimus, naturam in Cerebro inſtituiſſe tres patentes Meatus, in quibus Excrementitii

mentitii humores evidenter deprehenduntur, & per quos, ceu Canales Excretorios, eidem ſunt exturbandi; Unum ſcilicet è *Quarto* cerebri *ventriculo* in *Infundibulum*; & reliquos duos ex *primo* & *ſecundo* ventriculis, per nervos Olfactorios vulgo dictos, in foramina *Criſtæ Galli* utrinq; adſitæ, unde excrementa in os *Cribroſum*, indeq; vel in palatum, vel in nares pedetentim deducuntur: ſi aliquando contigerit, eadem in alterutro horum ductuum ſubſiſtere atq; coerceri; erit de neceſſitate, ut gravia mox inſequantur ſanitatis nocumenta. Maxime vero, ubi emphraxis ad duo *Crura* ſuperiora principii Spinalis medullæ uſq; pertigerit. Sunt enim crura illa in ipſo concurſu Nervorum omnium, qui intra calvariam oriuntur, ſita; & propter continuitatem cum medulla ſpinali, è qua reliqui omnes nervi prodeunt, haud incommode dici poſſunt eorum quaſi centrum: ut in ipſo partis hujus cum cerebro confinio, Senſum Communem perfici, veritati ſumme conſentaneum videatur. Et, quo lucidior, & ab omni Excrementorum immunditie defæcatior conſervetur pars hæc totius Cerebri nobiliſſima; illi appoſitas videre eſt Glandulas duas, *Pinealem* & *Pituitariam*, quarum munus præcipuum eſt, excrementa cerebri ſecernere, inq; expulſioni convenientia loca ſenſim deponere. Itaq; quoties ejuſmodi excrementa vel in ipſis cerebri ventriculis, vel in modo deſcriptis ductibus ad eos pertinentibus, diutius obhærent; coagmentatione aſſidua quaſi in cumulum aſſurgunt, exituq; ſibi quæſito, in interiores corporis ſedes prolabuntur, in hiſq; varios morbos exci-

tant:

Digitized by Google

tant: ſcilicet in *Nervorum* origines irruentia, Apoplexiam, Paralyſin, Stuporem, Tremorem; in *Senſuum* organa, cæcitatem, ſurditatem, tinnitum, odoratus privationem; in *Nares,* gravedinem, ſeu Coryzam; in *Fauces,* & in *Aſperam arteriam,* raucitatem; in *Pulmones,* Tuſſim, Aſthma, Phthiſin; in *Ventriculum,* cruditatem; in *Inteſtina,* alvi profluvium; hincq; ſi in *Venas Lacteas* unà cum Chylo ſe inſinuent, tempore craſſeſcentia tum eas, tum Glandulas Meſenterii, tum reliqua viſcera infarciunt, obſtructioneſq; pariunt. Sic Excrementorum è Cerebro deſtillatio quamplurimorum eſt morborum procreatrix. Eadem porro, etſi pituitoſa, lenia, & aliquatenus dulcia, aut inſipida ſaltem, ſua natura exiſtant: diutius tamen in Cerebri ſinubus retenta, plerumque vel ſalſam, vel acrem qualitatem tempore conquirunt; unde ſcaturiunt Catarrhi ſalſedine & acrimonia infames. Quinetiam non nunquam, portione eorum tenui calore diſſipatâ, in Grandines & calculos compinguntur; advertente *Cl. Sylvio,* qui in Glandula Pineali non ſemel aliquot arenulas, quin & aliquando calculum exiguum, piſi partem quartam æquantem, & ſubrotundum obſervavit.

14. Ad eandem familiam ſpectat quoq; *Liquor* iſte *Salivalis,* qui Græcis Σίαλον dicitur, quemque, ceu Succi Nutritii ſecrementum tenue, aquoſum ac pellucidum, è cerebro, per ſpongioſos & peramplos Nervorum Tertii paris ramos in Glandulas Maxillares profundi, hincq; per Ductum Salivalem in os expui, enucleate demonſtravit Soler-

tiſſ.

tiſſ. *Whartonus* noſter, in ſua *Adenographia*. Hoc autem Excrementum in judicium pariter advocari, fas eſt. Quippe quod in *Ductus ſalivalis* anguſtiis præ craſſitie ſua ſubſiſtens, accumulationeq; aſſidua immoderatius exuperans, nonnunquam tum Linguam ipſam, tum Muſculum maxillarem digaſtricum ductui contiguum, Tumore Oedematoſo premit. Cujus naturæ ac originis forſan erat inſignis illa *Ranula*, quam ſub lingua excreſcentem, ferramentoq; candente demum feliciter ſanatam obſervavit *Tulpius* (*Obſervat. medicar. lib.* 1. *cap.* 52.) qui Chirurgos tamen, & conſultiſſime quidem, adhortatur, ne Cauterii actualis atrocitate in conſimili caſu utantur. Sic vero iſte. " At vero, ſi " mollis & ſequax ſit Ranulæ materia (quod facile " attactu dignoſcitur;) noli (inquit) de exuſtione " cogitare: ſed excide duntaxat ſummam ipſius " tunicam; & effluet ſponte, vel exprimetur ſal- " tem digito, limpida ac viſcida quædam pituita, " ſimillima ovi albumini, recens ex effracta teſta " excidenti.

15. Eadem fere dicantur etiam de *Mucco Tonſillarum*; qui eſt humor quidam excrementitius, craſſus, viſcidus, albidus, & dulcis, â Cerebri parte inferiori, per nervos præſertim Tertii paris, ſtillans ſenſimq; depluens, vel partim forſan à ſanguine ex arteriolis in Glandulas faucium, Tonſillas vulgo dictas, effuſo ſecretus, & in fauces oſque demum excretus. Hujus enim deſtillatione immoderata imbutæ ſæpe tument Tonſillæ; & interdum, remoratâ ſimul ſanguinis circulatione,

quoq; inflammantur, abſceſſuq; facto pus in os & in fauces emanat: unde Ulcus ſequitur ſordidum, & quo graveolens fit expiratio. Oritur porro ejuſmodi Ulcus nonnunquam citra Phlegmonem, ex humore ſalſo vel acri, qui in Tonſillis diutius retentus, earum mollem laxamq; carnem exedit; interdum & ex contagionis labe lui venereæ familiare eſt.

16. Horum agmen claudit nobiliſſimum illud ſæculi hujus noſtri in *Miſcrocoſmo* inventum, *Liquor* ſcilicet *Lymphæductuum*; cujus hiſtoriam habes â nobis (*in Oecon. Animal. Exerit. 9.*) fuſiori quidem ſtylo, fideq; Anatomica conſcriptam; quemque pari jure poteris cum præcedentibus adducere pro tribunali. Hic enim primo inſignem plane in Hydropis generatione ſibi ſolet contrahere reatum. Nam, quando vel â Succo Nutritio, cui vehiculi vicem præſtat, in Glandulis eo deſtinatis non rite ſeparatur; vel etſi ſeparatus, ſanguini tamen non refunditur: tum in artubus & habitu corporis, quaſi aggeribus factis, reſtagnans, Anaſarcam, ſeroſamve Cachexiam neceſſario inducit. Quum autem, obſtructis Lymphæductibus, alicubi tantam in molem fuerit congeſtus, ut tenuiſſimas earum tunicas violentiùs diſtendendo forte diſrumpat: in partes vicinas, quaſi ex fiſſa olla guttatim ſtillans, inundabit. Idq; ſi prope venæ Portæ truncum (ubi ingens Lymphæductuum multitudo) contingat; aqua in vacuum Abdominis ſpatium ſenſim depluens, Aſcitim mox excitat, ventremq; totum ſtygiis undis implet. Sin in Thorace; eadem, haud ſecus

ſecus atq; ſuppurans Pleuritis, affatim irruit in illius capacitatem, & Hydropem Pectoris committit: non enim aliter tanta ſeri collectio præter naturam illic fieri poteſt. Deinde hic Latex ſeroſus nonnunquam erumpit in Uterum; eumq; vel in portentoſam magnitudinem, ſimulatâ graviditate, intumeſcere facit; vel Fluore ſeroſo incurabili continuo plorare. Nonnunquam in Scrotum, diſruptis Teſticulorum Lymphæductibus, ſibi inuſitatam viam parans, infert Hydrocelem. Interdum & in ipſum Pericardium, factâ in aliquo è vaſis ſeroſis ad Cor ſpectantibus rimulâ, excidit: unde Palpitatio cordis, & inde ſuffocans mors haud raro conſequitur. Quod ſi Lymphæductuum membranulæ tenaciores fuerint, ita ut diſtenſionem inſignem abſq; dilaceratione ferant; tunc in veſiculas quaſdam aqua turgidulas attolluntur, quas ὑδατίδες vocant Græci, quæq; hepati adnaſcentes, peculiarem Aſcitidis ſpeciem conſtituunt. Quælibet autem veſicula inter binas dictorum vaſorum valvulas quàm proximas efformari contingit: quia vero aqua nec prorſum propter obſtructionem, nec retroſum ob valvularum interceptionem; fluere poteſt; interſtitia intumeſcunt in figuram orbicularem, aut ſaltem ovalem, qualem in Hydatidibus ſæpiſſime cernimus. His ſæpe pecudum boumq; jugulatorum jecur ſcatere deprehenſum eſt. Et *Platerus*, ex *Johanne Aicholtzio*, de Fæmina quadam hydropica narrat, aquam in Abdomine nullam comparuiſſe; ſed inteſtina, unà cum reliquis viſceribus, anguſto ſpatio contenta apparuiſſe; ipſum vero Abdomen â cute ad Peritonæum quaſi alba

pinguedine duntaxat contextum videbatur, veſiculis crebrioribus, majoribus minoribuſq; aqua limpida refertis, invicem cohærentibus. Quibus, Auctarii loco, adjicere juvat paucula ex *Cl. Whartono noſtro,* qui de Glandulis Artuum, earumq; Tumoribus, eximia ſolertia differens, hæc habet verba. "Altera cauſſa communis horum Tumo-"rum â Nervis videtur originaliter petenda; nem-"pe â ſuperfluis eorum humiditatibus, quas in "Glandulas expuunt, vel quantitate, vel qualitate "vitioſas. Hæ enim ſuperfluitates, ſi in venas "non ſatis expedite tranſmittuntur, Glandulam "nonnihil infarciunt: unde fit, ut vice verſâ ali-"quid detrimenti Arteriis & venis â Nervis primo "læſis redundet, illæq; circuitum ſanguinis difficul-"ter in Glandulis peragant, tumorq; conſimilis ex-"citetur ei, qui oritur ab arteriis & venis primario "affectis. Si vero ſuperfluitates dictæ ſola quanti-"tate percent, aut qualitate non maligna, nimirum "viſciditate, craſſitie, aut ſimilibus; tumor ſimplex "exorietur, & ab omni malignitate alienus: ſin ma-"teria affluens venenoſa aut contagioſa fuerit; ori-"tur tumor veneno peculiari reſpondens, peſtilen-"tialis nempe, vel venereus.

17. In hunc autem cenſum cadunt *Lachrymæ*; utpote liquori Lymphæductuum plane congeneres, quæq; maxime conſtant ex humore aqueo & ſalino-ſubacido, qui è Nervorum ſecundi, tertii, quarti & octavi parium ramulis, per Plexum Retiformem decurrentibus, effuſus, inq; Glandularum Lachrymalium parenchymate â Succo Nutritio puri-

ori

ori ad nutriendos oculos deſtinato ſeparatus, per puncta Lachrymalia guttatim exprimitur. Neq; hæ enim omni culpa carere videntur. Enimvero, ſi quando eveniat, ut hæc Lachrymarum materia, ſive ex nimia ſua ſalſedine (quæ Scorbuticis admodum familiaris eſt) ſeu ex labe maligna (id quod ſæpiſſime fit in Lue venerea) ſeu ex diuturna in dictis Glandulis infarctum patientibus detentione, ſeu quacunq; demum alia ex cauſſa, acrimoniam corroſivam ſibi conquiſierit: vix fieri quidem poteſt, quin cuniculos intus in tenerrima Glandularum earum ſubſtantia agens, Fiſtulam excavabit, quæ *Rhyas* (eo quod ſinit humorem continuo defluere) audit. Deinde, nonnunquam exiles earundem Glandularum meatus craſſitie, lentoreve ſuo obſtruendo; eoq; pacto circuitum ſanguinis in iiſdem impediendo: Phlegmonem parvam inter majorem oculi angulum, & naſi radicem, quæ *Ægylops*, & *Anchylops* dicitur, excitant. Et ex hoc parum bene curato affectu, ſinus quoq; conſequitur, aut oculi Fiſtula. Cæterum, erit hoc loco peropportunum, eos erroris manifeſti redarguere, qui exiſtimant, ingentem illam Lachrymarum copiam, quam continue effundunt Fiſtula lachrymali laborantes, ex ſola eroſa Glandula promanare. Non enim cenſendum eſt, omnes lachrymas ab ulceroſa parte ſtillare; cum puriores ac limpidiores ſint, quam ut ulceri originem debeant: Verum ſordes Ulceris membranas oculorum irritantes occaſionem exhibent perpetuo lachrymandi; haud ſecus ſane atq; iis accidit, qui feſtucas, arenulas, aut humores pungentes, imo acria Cæparum inciſarum effluvia, in oculos ſuos excipiunt. 18. Ve-

Digitized by Google

18. Verum hic nobis è memoria pene exciderant *Sordes Aurium*, κυψελίδα Græcis, Latinis autem *Cerumina* & *Marmorata* dictæ; quæ videntur quoddam Cartilaginum adſitarum ſudamen, flaveſcens, amarum, ac more medullæ oſſium inflammabile; non vero Bilis ſpecies quædam ex Arteriolis capitis in Auriculæ alvearium exſudans, ſicut *Ariſtoteli* olim viſum eſt, à *Caſſerio Placentino* longa argumentorum ſerie acerrime propugnatur, Noſq; etiam ipſimet horum veſtigiis errantes, (*in Oecon. Animal. Exercit. 6.*) aſſeruimus. Hocce Cerumen, cum non expurgatur, interdum auditui damnum adfert maximum, tum obſtruendo meatum auditorium, quod à *Galeno* fuſe ſcriptum fuit (*i. de Sympt. Cauſſ. cap. 3.*) tum etiam aliquando, quod in calculi duritiem convertatur, quemadmodum quidam noverunt è Recentioribus; rariſſime tamen id contingere, ac ſolum in iis, qui negligentia magna ducti, expurgationi harum ſordium operam dare noluerunt, fatendum eſt. Præterea, nemo inficiari poteſt, ipſas acrimoniam inſignem ex diuturna inhæſione poſſe ſuſcipere, quæ in auribus pruritum inferat, & ſcabiem, ac profundiores etiam partes exulceret, ut quotidiana experientia conſtat.

Supereſt, de earum etiam, quas non ſimpliciter quidem, ſed vel in Tempore, vel ex Conſuetudine neceſſarias eſſe diximus, vacuationum ſuppreſſarum, omiſſarumve noxiis paucula ſubnectamus: quarum claſſem conſtituunt, in Fæminis Menſium, Hæmorrhoidumq; in utroq; ſexu eruptio periodica; item

item Seminis è Vaſis Spermaticis, Lactiſq; è Mammis profuſio ſolennis. Horum ſiquidem ſuppreſſio, atq; etiam parcior, & non qualis, aut quando expedit, facta vacuatio; tametſi vere Symptoma eſt, Morbi tamen Cauſſa fit evidens. De ſingulis itaq; ſigillatim, breviter quidem, proq; inſtituti noſtri ratione, nobis nunc dicendum.

19. Quod ad Fæminarum *Catamenia* attinet; ſi in horum Utilitatem præcipuam, Cauſſamve finalem, cujus gratia potiſſimum à Natura fuerint in Mulieribus (ut & in Simiis grandioribus, aliiſq; forſan nonnullis fœmellis viviparis) inſtituta; utrum ſcilicet conſervandæ in Individuis ſanitatis ergo, an vero in prolis aut concipiendæ, aut nutriendæ gratiam? inquireremus, hoc in loco parergon prorſus foret. Reſervatis igitur in aliud magiſque opportunum tempus ſpeculationibus noſtris ſuper hoc problemate, circa quod tamen inſignes quædam, nec ab aliis ſat dilucide hactenus explicitæ difficultates ſeſe offerunt: nobis impræſentiarum ſufficiet, ſi ex Hyſtericis affectibus, qui Menſium ſuppreſſioni ortum ſuum potiſſimum debent, præcipuos, un c um veriſimillimis eorum Cauſſis, compendioſe perſtrinxerimus. Quod ut felicius, cumq; majori Tyronum fructu abſolvamus; ut de Circuitus ſive Periodicationis menſium cauſſa & ratione, quam prorſus ignoraſſe videntur veteres, paucula prælibemus, oportet. Advertimus itaque, quod nedum redundans, aſt & fermentatione quadam peculiari impetum faciens, ſanguis ſit menſtrui in mulieribus Materia. Ut enim Maribus,

bus, ſic etiam Fæminis, circa annos pubertatis, ingens incidit corporis univerſi mutatio: ac tum temporis, increſcente jam & vegetiori facto in omnibus partibus, maxime vero circa Genitalia, calore vitali, pubes erumpit, fratrant mammæ, corpus Cupidinis æſtro titillatur, exuberans ſanguis calore tum ſuo, tum ſpirituum Seminalium, veluti extenuatus, circumquaq; diffunditur, vixq; ſuis canalibus coercitus, viam ſibi parat, qua dimanet. Quamobrem hac ætate, prodidit *Hippocrates*, *Maribus ſanguinis è naribus profuſiones, Puellis vero menſtruorum eruptiones obtingere*. Illis ſiquidem arteriolæ quæ ad nares conſtitutæ ſunt; His vero quæ in Uterum, inq; ejus cervicem inſeruntur, facilius promptiuſq; reſeruntur & pateſiunt. Itaq; qui in univerſo corpore redundat ſanguis, è ramis arteriæ magnæ deſcendentis cruralibus in arterias Uterinas deductus inibiq; fermento Uterino quaſi inſpiratus, ac fermenteſcens, eas copia & calore diſtendens aperit, ut ab illarum extremitatibus exſtillans dimanet, profluatq; è ſinu pudoris. Imminutâ hujuſmodi effluxu copiâ, & turgeſcentiâ ſedatâ; quod reliquum eſt & corpori neceſſarium arteriæ retinent, per venas ad cor continuo reducendum: & dum menſtrui nihil amplius erumpet, quæ ad uterum pertinent oſcula arteriolarum ſponte ſua occludentur, & connivebunt. Menſis unius curriculo tantum denuo congeritur & luxuriat, quantum ante profluxerat; idq; deinceps ſimili prorſus ratione, naturæ impulſu per loca muliebria deponitur. Diximus vero, *Sanguinem Fermento Uterino inſpirari*; ne aliquiſquam exiſtimet, meram ſanguinis

ſanguinis redundantiam Circuitus menſtrualis cauſſam eſſe; cum iis etiam, quæ ſanguinis exiguum congeſſerunt, quanquam parcius, ſtatis tamen periodis effundatur. Nam ſicut in ventriculo, aliiſq; forſan nonnullis corporis partibus; ita & in Utero pariter ineſſe ſemina quædam Fermentativa, quæ per univerſum corpus ſeſe diffundant, totamq; ſanguinis maſſam effluviis activis imbuant, ut is ſtatis quibuſdam circuitibus, Lunaribus nimirum volatiliſetur magis, & acrius efferveſcat: hincq; provenire, quod Fæminæ â decimo quarto circiter anno ad quinquàgeſimum uſq; ſingulis menſibus per uterum purgentur; veritati ſumme conſentaneum eſt. Experientia ſiquidem quotidiana edocemur, quod in fœminis, â fermento Uterino ſe recte habente, facies colore florido & eleganti ſuffunditur, calor in univerſo corpore vegetus & copioſus exiſtit, nimiſq; luxurians ſanguinis maſſa ſingulo menſe, præſertim decreſcente aut ſilente Luna (quæ ut luminum varietate, tum creſcens, tum ſeneſcens, menſem dimetitur; ſic hominis, ut ſane reliquorum omnium humores, rata ordinis conſtantia regit atq; moderatur) Catameniorum defluxu depleri neceſſe habet: eo autem deficiente, fiunt tum virgines, tum mulieres pallidæ, morbidæ, ac velut exangues, anheloſæ, & ad quemvis motum ineptæ; ut veriſſime dixiſſe videatur *Præceptor (i. de Morb. numer. ib.) Mulierem ſanam ex menſibus judicandam.* Bene igitur res eunt mulierum, ſi menſtrua bene reſpondeant; nam & univerſum corpus a ſanguinis pleonaſmo, & uterum ipſum ab excrementorum colluvie ex naturæ præſcripto vin-

dicant. Si vero ſupprimentur, nec ſtatis temporibus emanent, diverſimoda malorum graviſſimorum genera tum ipſi Utero, tum univerſo corpori ita affectarum mulierum inferunt; viſcerum ſcilicet obſtructiones; Nauſeam, Lumborum, Scapularum, Capitis, totiuſq; corporis gravitatem, fædum faciei colorem, Lienis tumores, varices, Chloroſin, item Febres, Pleuritidem, Peripneumoniam, Cancrum, morbum Comitialem, Apoplexiam, hujuſq; perniciei quamplurima alia, quæ ab *Hippocrate (Lib. 1. de Morb. mul. 6. & 7. & lib. de Virgin. Morb. num. 1, 2.)* fuſe recitata invenies; quæq; eo amplius ſolent exacerbari, & fieri ſæviora, quo retentio menſtruorum eſt magis diuturna. Diu enim in Utero, tanquam in ſentina omnis impuritatis, coercitus ſanguis, ob moram facillime putreſcit, in deterrimamq; abit labem: unde, elevatâ deleteriâ aurâ ex utero, cor laceſſente & feriente, emanant diri affectus, ferini & prorſus ſævi, ſyncope, cordis dolor, exſolutio, & alia truculenta pathemata repullulant; quæ referunt *Laurentius (lib. 7. de re Anatomica, quæſt. 11.)* & *Ludovicus Duretus (in appendice de Vulnerib. ad com. text. 44.)* *Immoderatam* porro Menſium *purgationem* excipit eorum ſymptomatum invaſio, quæ immodicam ſanguinis effuſionem ſequi ſolent; cujuſmodi ſunt virium imbecillitas, inappetentia, cruditas, fædus faciei color, pedum ac deinde reliqui corporis tumor œdematoſus: quorum omnium cauſſas proximas ac continentes ex eis, quæ ſupra de ſpirituum vitalium exhauſtione, ejuſq; effectibus â nobis dicta ſunt, nullo ferme negotio deducas.

20. Quod

Digitized by Google

20. Quod ad ultra conſuetum tempus retenti, inq; conceptaculis ſuis putredinem concipientis *Seminis* (cujus Materiam, utpote ſanguine multo nobiliorem, nec non ſpiritibus generoſiſſimis locupletatam, è Cerebro medullaq; ſpinali, alibi, viz. *in Occon. Animal. Exercit.* 10. enucleate deduximus) vitia attinet; teſtatur experientia, omnibuſque in confeſſo eſt, ea tum plura eſſe, tum graviora, quam quæ ex intermiſſo fœminarum tributo Lunari modo diximus ſuppullulare. Nam, quod Seminis, quam ſanguinis pravior ſit corruptio, ex communi illo Axiomate perſpicuum ſit; ſcilicet, *Quod res tanto deterior evadit, cum â propria natura recedit, quanto in ſtatu ſuo nativo perfectior erat.* Jam nullus eſt in vivente corpore præſtantior ac purior ſuccus, quam Semen; quod propterea â natura renutriendis particulis, & inſuper Generationis eximio, ac propemodum divino operi deligitur ac deſtinatur: ideoq; nec alius, ubi â ſeipſo degeneravit, & in venenoſam abiit malignitatem, ſævior atq; lethalior, ut in progreſſu mox conſtabit. Sapienter itaq; *Galenus (6. de Loc. affect.)* quærens, quænam deterior noxa, an quæ â Semine retento & vitiato, an quæ â Menſtruo provenit, decrevit eam, quæ â ſemine, oppido praviorem exiſtere. Jam vero, quod omnia Animalia, Cupidinis œſtro, ex pleonaſmo genitalis nectaris, percita ferociant; & niſi ſe invicem, per voluptatis Aphrodiſiæ exercitium, fruantur, plurimum tandem & â conſuetis moribus, & â ſanitatis ſtatu recedant; apertius eſt, quam ut lata

Digitized by Google

proſequi debeat oratione. Ita profectò *Viri*, maxime Juniores ac polygoni, ex diutius intermiſſa, ferventiuſq; concupita Veneris palæſtra, alias quidem Anorexia, univerſi corporis gravedine ac torpore, ſummoq; animi etiam angore conturbantur; aliàs Febres Spermaticas (quarum ideas ac differentias ſingulari ſolertia deſcribit *Sinibaldus, Geneanthrop. lib. 9. tract. 1.*) capitiſq; dolores acerrimos incurrunt; alias, victâ honeſtate, ac pudore deſpecto, Priapiſmo inſaniunt & Satyriaſi. Cujuſmodi fuit Satyriaſis illa apud *Schenckium*, in qua virga biduo poſt mortem tenſa ac rigida perduravit; itemq; illa Heracliti Imperatoris, qui referente *Pomponio Læto (in compendio Hiſt. Romanæ) periit novo cladis genere, teſtium nempe folliculo ſurſum verſo ſimul cum virili membro, & ſemper tenſo, adeo ut quoties meieret, niſi tabula umbilico admota prohibente, vultum lotio ſparſiſſet.* Quarum utraq; proculdubio contigit ex ſemine acrius calefacto, corrupto, & turgeſcente. Ita pariter *Mulieres* quædam, acrius πολυσπερμίας igniculis prurientes inſaniunt præ deſiderio conſueſcendi cum viris; & in nonnullis uſq; adeo ſævit hoc malum, ut vel veneficio afflatæ, vel ſideratæ, aut à Cacodæmone obſeſſæ vulgo judicentur. Hinc tantus in Virginibus, juxta ac viduis ſalacioribus ſymptomatum Hyſtericorum proventus. Hinc ardens matricis Pruritus, & Nymphomania, ſeu Furor Uterinus, in quo tantus pungit libidinis aculeus, ut cogantur mulieres, fractâ pudoris lege, deſpectâq; bonæ famæ reverentiâ, virum quemcunq; obvium in amplexus accerſere, ac ſollicitare, beneq; mu-

Digitized by Google

toniatos eligere, ut fortius in venerea palæſtra velitentur. Non nullæ autem hoc œſtium atrocius, præ verecundia huic ſexui innata, fateri non audentes; interim taciturnæ vivunt, & in principio mœrore corripiuntur, veneris meditantur illecebras, de quibus forte ſi ſermo incidat, oculi huc illuc agitantur laſcive, genæ rubore ſuffunduntur, pulſus immutantur; donec penitus proffligatâ honeſtate, ac gentilitii omni prorſus decore contempto, garrulæ evadunt, petulcæ, procaces, impudentes: quare de virorum congreſſu, deq; lecti-lucta loquuntur ſolum; obſcœna dicteria, ac propudioſa jactant, viroſq; tandem ad explendam illam uteri aviditatem invitant, ſollicitantq; effrontes. Hæc fuit abſtruſa vis morbi, quæ oppreſſit Crotonienſes Virgines, auctore *Petro Crinito (lib. 3. de Honeſt. Diſciplin. cap. 9.)* ut cum nullum extaret in ipſis morbi levamen, in præaltos puteos ſe projicerent. Satis inſuper Virginum Mileſiarum, & Lugdunenſium mulierum hiſtoriæ conſpicuæ ſunt: quibus tamen addenda erit Mulier illa apud *Matthæum de Grad.* (*Conſil.* 80.) quæ dum utero non geſtabat, mentis incurrebat tenebricoſam perturbationem, membrorumq; omnium tremorem: inde â ventris quodam murmure ac rugitu, adeo effreni libidinis incendebatur pruritu, ut ſi vir ejus præſto non erat, in inſaniam aliaq; turpia ſymptomata præceps iret. Sed quis adeo prudens, adeo facundus poterit ingenitæ hujus Tarantulæ venenatos mille morſus aperire ac depingere? Et dies nos deficeret, ſi vel enumerandis Fæminarum affectibus diris, è minera ſpermatica catervatim

ſuc-

Digitized by Google

ſuccreſcentibus, immoraremur. Quamobrem dixiſſe ſufficiat, eos fere omnes vel ad ſpiritibus fervidis afflatum, & effluviis ſeminalibus, tanquam peculiari quodam Fermento, turgeſcentem Sanguinem referri debere; vel ad Cerebrum Nervoſumque genus, maligna quadam aura ex utero, ſive per cæca ac latentia ſpiracula, ſive per nervulos in Plexu ſuperiori Abdominis concurrentes, ſurſum ſublata, percuſſum vellicatumque. Quæ aura certe tam venenata exiſtit, tamq; perniciosa; ut partium quas attigerit facultates offundat, earumq; functiones intercipiat. In hujus rei ſpecimen en! nobis ſeſe offert ab Utero Strangulatus, Hyſtericorum ſymptomatum facile graviſſimus. In hoc quippe primum quidem, quum levis adhuc & exigua eſt mali cauſſa, ex Utero ſublatus vapor, ventriculum feriens, Nauſeam quandam movet, cui tamen raro ſuccedit vomitio; ſæpe tædium quoddam & cibi faſtidium; idq; interdum cum murmure ventriſq; rugitu, interdum citra hæc. Quum vapor in Diaphragma Thoraciſq; partes effertur, Reſpirationem brevem crebramque, tanquam compreſſo pectore, facit. Simul etiam Cor obſidens, levem interdum animi defectionem inducit, qua tamen vix immutatur pulſus. Metus hinc atq; deſperatio ægram concutit, ac plerumq; tanta, ut ſe mox interituram putet, nullaq; ratione in ſpem erigi & recreari poſſit. Malum altius in Fauces invadens, Nervorumq; ſexti paris, ramulos male mulctans, eas quaſi vinculo conſtringere, & Muſculos Pharyngis convellere videtur, prorſuſq; ſpiritum intercipere, magno ſuffocationis metu,

Digitized by Google

metu, imo nonnunquam & diſcrimine. Ubi vero Cerebri arcem conſcenderit, aliàs quidem Nymphomaniam ſupra deſcriptam, cum garrulitate, petulantia, iracundia & inquietudine, excitat; aut alia deſipientiæ genera metus horroriſq; plena: aliàs quaſi ſoporem quendam ac veternum parit, quo mulier corruens velut attonita jacet, ſine motu, ſine ſenſu ullo, reſpiratione adeo parva & rara, ut interdum nulla eſſe credatur, tanquam ipſa jam mortuà extinctaq; ſit: aliàs Epilepſiam, cum motibus convulſivis, riſu Sardonio, fletu, ululatu,&c. gignit. Hiq; varii ſunt ordines, variæq; Hyſtericarum acceſſionum formæ, quæ circuitu & ad phaſes Lunares, more morbi Comitialis, repetunt; aliis quidem crebrius, aliis rarius, pro majori minorive corrupti Seminis copia ac fermentatione. Et pluribus quidem hæc deduximus; quod haud ſpernendæ utilitatis ſit ſpeculatio.

Cæterum, cum Semen ſit quaſi *Flos alimenti*, ut ſenſit *Pythagoras*; quiddam à dorſi ſpina derivatum, ut *Platoni* viſum eſt; pars cerebri, ut *Alcmæo*; particula à corpore animaq; avulſa, ut *Epicuro*; revera autem puriſſima, generoſiſſima, & non niſi magno naturæ labore elaborata pars Succi Nutritii: manifeſtum eſt, neq; Venerem etiam quoquo modo ſalubrem eſſe, niſi cui forte multo jam tempore præter conſuetudinem ſit intermiſſa. Huic idcirco moderata confert; quod titillantis aut turgeſcentis materiæ exuperantiam, tanquam onus, infenſam deponat. *Immoderata* verò multiplex affert detrimentum, ſummamq; perniciem. Spiritus enim affatim exhaurit, ſuccumq; nutritium

pinguiori

pinguiori ſua, balſamica, ac generoſa parte ſpoliat: iiſq; nominibus Animum infringit, ſenſus omnes infirmat, Oculorum aciem ſummopere hebetat, ſæpeq; viſum aufert; Arthritidem, & præcipue Podagram & Iſchiada progignit; Canitiem, calvitiemq; ante ſenium, imo & ſenium quoq; ipſum, ac interitum ante diem accerſit, Cerebrum molle laxumq; reddit, univerſumq; corpus emollit atq; enervat. Hinc docte ſimul ac lepide vates ille,

Eſt veneris fugienda tibi immoderata voluptas;
Nam Capiti, mentiq; nocet, ſenſuſq; retundit,
Virtutemq; hebetat Animalem, & corporis omnes
Debilitat nervos, infirmaq; pectora reddit, &c.

Refert *Arnaldus* (*in ſpeculo introductorio Medicinæ*) factâ aliquando corporis cujuſdam Anatome, inventum fuiſſe caput exhauſtum Cerebro; cujus rei portentoſæ eventum prudentes Medici in frequentiſſimum veneris Uſum, cui ille apprime deditus erat, unanimi voto rejecerunt: & hinc roboratur opinio *Hippocratis*, (â nobis alibi ex Modernorum obſervationibus ſtabilita) qui majorem ſeminis portionem â Cerebro delabi exiſtimavit. Viden' ergo juventus petulans, quantis quamq; multis obnoxiam morbis tua te laſcivia reddat? Hem! itane homines audent impetu effræno Genii in Venerem irruere, nullo habito ſanitatis ſtudio? Ergo nec â tanta infirmitatum colluvie terreberis miſer Anthropos? ut perbrevi, eaq; doloſa voluptate fruaris, valetudinem peſſum dabis, qua ſine nullum bonum jucundum eſſe poteſt? Sed,

Dura

Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Eſſe, ſed ut valeas multa dolenda feres.

21. Denique, quoad *Lactis* nocumenta; paucis advertimus *primo,* Duplicem agnoſcendam eſſe Lactis materiam; aliam nempe *Chyloſam: Spermaticam* autem alteram. *Priorem* quidem cenſemus multo maximam Lactis portionem conſtituere; non vero immediate â ventriculo ad Mammas per vaſa peculiaria (talia ſiquidem, ut ut ab omnibus ferme Anatomicis, qui in hac ætate lyncea florent, ſedulo quæſita, nemini tamen hactenus comparuere; ideoq; non dari omnino conjicere fas ſit) tranſmitti; ſed per *Perqueti* Ductum Chyliferum in ſubclavias primo deferri, indeq; per Cordis ventriculos cum ſanguine circulari, adeoq; per arterias Thoracicas, tempore lactandi, in Mammarum Glandulas refundi; in quibus â ſanguine, per modum ſeparationis meræ, ſecernitur, & nutriendo infantulo in poroſitatibus Mammarum aſſervatur, dum ſanguis illi modo commixtus iterum per venas Mammarias in corporis meditullium reducitur. *Poſterior* vero, ſicut probabile eſt, nervorum Thoracicorum opera, quorum plurimi ſurculi ad mammas tendunt, ſuppeditatur. Nam hi Nervi, lactationis tempore, multo majores magiſq; conſpicui, ac ſucculenti, quam aliis temporibus deprehenduntur; ut evidenter videre eſt in Vaccis, Canibus, Felibus,&c. lactantibus. Idem confirmatur, quod Lac ſit omnium corporis partium ſufficiens alimentum, quare continet in ſe non tantum id, quod

 inſtauret

inſtauret ſanguinem deprædatum, ſed & quod partes etiam ſpermaticas pariter abſumptas reparet, eaſdemq; plurimum adaugeat. Infantes enim alimento ſpermatico, propter continuam eorum augmentationem, quam maxime opus habent. Cum ergo ſolo lacte è Mammis exſucto nutriantur, neceſſe eſt ut lac illud idoneam in ſe contineat materiam, quæ in partium ſpermaticarum alimoniam facile cedat: quam partem lactis ut multo nobiliorem, ita è Nervis quoq; quorum ſucco ſimillima exiſtit, in Mammas derivari neceſſe eſt. Quippe nullum aliud Vas adhuc repertum eſt, unde hujuſmodi materia Mammis ſubminiſtretur. Accedit, nutrices raro impraegnari: ſi vero forte concipiant, iis lac vel in Mammis ſenſim deficere, vel ita vitiari, ut infanti inſufficientem nutricatum præſtet, imo ut plurimum ſumme noxium. Cujus rei Ratio eſt, quod nobiliſſimus Succus Nutritius ſpermaticis partibus nutriendis maxime idoneus, ad Uterum divertitur, mammaſq; deſerit; quo fit, ut Lac, ſolitis Nervorum vectigalibus deſtitutum, vappeſcat, & nutritioni ineptum evadat; quemadmodum ſolide ratiocinatur *Whartonus*, in *ſua Adenographia*. Hoc autem poſito, advertimus *Secundo,* quod immoderata Lactis profuſio, vel retentio, in cauſſa eſſe poſſit, ut puerperis, infantulorumq; lactationi aſſuetis quamplurima mala obveniant. Ex diuturna opimi hujus liquoris è Mammis exſuctione plurimum emaciari Nutrices, vigoreq; juvenili, ac vultus amænitate præpropere ſpoliari; experientia certo conſtat: nec aliter quidem fieri poteſt. In Mammas quippe converſo, maximam-

que

que partem impenſo Chyli flumine, reliquum corporis genio ſuo defraudari, neceſſum eſt; unde Contabeſcentia, Gracilitas membrorum, & præmatura ſenectus. E contrario, intermiſſam Lactis evacuationem ſequi ſolent Mammarum inflammatio, Tumores Scirrhoſi, Lactis in Tubulis lactiferis Coagulatio, Febres puerperarum propriæ, Cancer, aliaq; id genus dira accidentia, de quibus paſſim agunt Practici; quorum ad libros Lectorem brevitatis ſtudio remittimus, ad alia jam progreſſuri.

Digitized by Google

EXERCITATIO X.

Morborum tum Similarium, tum Organicorum Cauſſæ, quot qualeſq; ſint; & quo ritu ſingula corporis œconomiam pervertant.

SUMMARIUM.

ART. 1. Introductio, dicendorum capita complectens. 2 Intemperiei Calidæ cauſſæ ſpeciatim aſſignantur, & explicantur. 3 Quomodo intemperies calida oriatur à corporis animive Motu vehementiori. 4 Quomodo item à Putredine: 5 à Conſtipatione habitus corporis: 6 à Calidorum contactu: 7 & ab intro aſſumptis calefacientibus. 8 Frigidæ intemperiei cauſſæ ad quatuor claſſes reducuntur 9 Quæ immediatè propriaq; vi alterando infrigident: 10 quæ calorem vitalem ſuffocando: 11 quæ diſſipando: 12 & quæ deniq; neceſſarium pabulum eidem ſubtrahendo. 13 Quibus à cauſſis inducatur intemperies Humida. 14 Quibus item Sicca. 15 Intemperies Compoſitæ unde producantur. 16 Quot modis excitentur intemperies Materiales. 17 Cauſſæ communes Affluxionis: 18 & Obſtructionis. 19 Tumores, quomodo fiant, ¶. 20 Dari totius ſubſtantiæ morbos, clare evincitur. 21 Unde ſic dicti ſunt. 22 Cur alias nominantur morbi Qualitatum Occultarum: 23 & cur deniq; Venenatorum morborum charactere nonnunquam inſigniantur. 24 Venenorum permagnam extare varietatem: idq; tam reſpectu diverſorum Modorum, quibus nos ad interitum ducant; quàm variarum corporis Partium, quas ſpeciatim invadant. 25 Omnia tamen vel Spiritibus Vitalibus & Sanguini, vel Spiritibus Animalibus cum roſcido Nervorum liquore, tanquam ſubjectis ſuis primariis, proxime immediateq; imprimi. 26 De Sanguine, res pluribus argumentis conficitur. 27 Mutationes omnes, quas ſanguini peculiariter infenſa Deleteria invehere poſſint, vel ad Fuſionem, vel ad Coagulationem, in genere ſpectare. 28 Dari venena quædam, quæ in Spiritus Animales proximius agentia, Cerebro ſpecifica hoſtilitate noceant, univerſoq; generi nervoſo. & qualia ſint. 29 Horum energiam præcipuam aut in Figendo, aut in ferociter Exagitando Spiritus Animales, conſiſtere. 30 Cauſſarum malignarum & venenatarum diviſio in intus genitas, & forinſecus advenientes. 31 Humores in corpore noſtro venenatum miaſma inducere poſſe. 32 Cauſſarum venenatarum, quæ extra corpori obveniant, reductio ad tres claſſes. 33 Aeris inquinamenta exitialia, quibus Peſtis ortum ſuum debet, derivantur ab Mineralium exhalationibus. 34 Contagii natura & vires explicantur. 35 Quid illud ſit, quod ab infecto corpore dimanat. 36 Quomodo idem ſe habeat per medium tranſitus ſui. 37 Cur omnia Miaſmata è corpore peſte infecto exhalata non conſtituant ubiq; fomitem. 38 Quo ritu peſtilentiæ ſemina è fomite ſuo excuſſa, ſeſe in alienis corporibus propagent atq; multiplicent. 39 Solutio problematis illius, an peſte morboſum corpus contagioſum ſit ratione Morbi; an vero ratione Cauſſæ morbificæ. ¶ 40 Generalis morbi Organici notio. 41 Cauſſa morborum in Situ inconcinno: 42 in Figuratione incommoda: 43 in Magnitudine injuſta: 44 in Numero indecenti: 45 & in Soluta deniq; Unitate partium. 46 Coroniſs, ¶.

I. Quot

Digitized by Google

QUot qualiaq; ſint Morborum genera; quot Cauſſarum morbos efficientium differentiæ; & cujuſmodi res eæ ſint, quæ cauſſarum morbificarum naturam induant, quaque ratione ex iis unaquæq; ad Noſogeneſin genuinè faciat; hactenus ſummatim ac veluti volante calamo expedivimus. Reſtat nunc tantum pari breviloquentia explicemus, quænam ſingulorum morborum ſint Cauſſæ in ſpecie. Quod ut commodius, uberioriq; Tyronum ſedulo legentium fructu præſtemus; nobis heic ediſſerendo recolendus venit idem notionum ordo, quem in enumerandis morborum generibus ſummis ſupra in Exercit. 2. obſervavimus. Primo itaque dicendum eſt

De cauſſis morborum ad partes Similares *ſpectantium.*

Horum ſtatuuntur Genera duo; quorum alterum morbos *Intemperiei* complectitur, alterum *totius ſubſtantiæ*, ſeu (ut vulgo nuncupantur) *Qualitatum Occultarum: Prius* porro fundari dicitur in Qualitatum *Primarum*, & nonnunquam etiam *Communium* (quas ex Emunctioribus quidam rectius vocant Modos materiæ) *Aſymmetria: Poſterius* autem in perverſa malignaq; *Spirituum inſitorum* Diatheſi, qua illi ad Νέκωσιν tendant, quæq; ad Formam totamq; ſubſtantiam â nonnullis refertur.

Intemperies *Simplex* ponitur, & *Conjugata:* & *Simplex* rurſus diſtrahitur in *Calidam, Frigidam, Humidam,*

Humidam, Siccam. Quarum de Cauſſis jam ſpeciatim.

2. Quoad intemperiei *Calidæ*, in quamcunq; corporis partem inſederit, Cauſſas; animadvertendum eſt, quod eæ omnes â *Galeno* olim, hodieq; etiam â præſtantiſſimis Medicis unanimiter ad *Quinq*; claſſes reducantur; ad *Motum* ſcilicet, *Putredinem, Cutis conſtipationem*, indeq; exortam Διαφορήσεως retentionem, *Viciniam rei calidæ*, & *Aſſumpta* deniq; *calefacientia*. Verum hæ res non omnes eodem modo calefaciunt, aſt aliæ proxime & per ſe, aliæ per accidens. Nam

3. Primo, *Motus*, ſive Animi ſit, ſive Corporis, modo vehemens aut diuturnus, calorem in partibus excitat & auget; nimia ſpirituum & ſanguinis agitatione. Palam quippe eſt, ſanguinem & in ſeipſo tanto magis incaleſcere, & per univerſũ corpus concitatius diffundi; quanto magis inter agitandum attenuatur, atq; concutitur: ac neceſſum eſt propterea, ut partes ſolidæ perinde eo intenſiori calore diſtemperentur, quo copioſiori fervidioriq; ſanguine perfunduntur; maxime ubi earum renixus fuerit Arteriarum vigorationi, appulſiq; ſanguinis impetui quodammodo proportionatus. Quod ad ſenſum etiam evidentiſſime apparet in aucto pulſu ab violentiori corporis exercitio; nam in motu membrorum fortiori Muſculi fere omnes tenduntur, ac proinde pertranſituro ſanguini pluſculum renituntur: unde Arteriis eo ad luctam magis irritatis, auctoq; intus â ſpirituum vitalium quaſi incarceratione calore, pulſus frequentiores,

quentiores, fortiores, ac pleniores eduntur. Et hinc eſt, quod Febris Ephemera adeo frequenter, & nonnunquam Synochus quoq; ſimplex, ultra modum celebratis exercitiis validioribus ſuccedant.

4. Secundo, *Putredo* pariter vim obtinet in augendo Animalium calore inſignem; utpote quæ ſyntheſin illam, ſeu mixtionis vinculum, quo heterogeneæ ſanguinis particulæ in unum liquorem uniformem, unamq; naturam ſimilarem conſociatæ ſunt, unitæ, velutiq; colligatæ (motum ſcilicet Fermentationis vitalis æquabilem) magna ex parte diſſolvit; ita ut Hypoſtaticis illius principiis varias in partes ſuapte ſponte faceſſentibus, ſulphureæ ſeu ad igneſcendum proniores particulæ, à miſto ſolutæ, efferatæ, ſupraq; cæteras evectæ, promptiſſime accendantur. Unde univerſa ſanguinis maſſa, concepto incendio, continenter ebullit, motu rapidiſſimo per vaſa, quinimo & per carnes defertur, & inter deflagrandum quamplurima intenſiſſimi caloris effluvia quaquaverſum diſpeſcit; eoq; pacto quem in ſe conceperit fervorem partibus ſolidis inurit. Idem & in corporibus Inanimatis frequentiſſime contingit; in fimo nimirum Equino putreſcente, in fœno recenti ante plenam exſiccationem in loco anguſtiori recondito, in Columbarum ſtercore, & ſimilibus: per putredinem â miſtionis vinculo expeditis, concitatis, inq; ignem denuo erumpentibus eorum particulis ſulphureis. Huncq; verum eſſe modum, arbitramur, quo Febres putridæ in ſanguine noſtro accenduntur.

5. Tertio,

5. Tertio, *Habitus corporis* Στέγνωσις, ſeu *Conſtipatio Conſtrictiovè*, indeq; proveniens Διαπνοὴ impedita, ad inducendam intemperiem calidam admodum efficax eſt. Sanguinis enim effluvia fervida, quæ per inconſpicua cutis ſpiracula tranſpiratione continua foras exhalare debent, ſi ob exteriorum denſitatem intus retineantur; eo unde modo fuerant exploſa confertim regrediuntur, inq; ejuſdem ſanguinis undas ſeſe immergentia, ejus & molem augent, & (extranei fermenti more) motum inteſtinum pervertunt: unde is plus ſolito mox turgeſcit, fervorem in ſpirituoſis ac ſubtilioribus partibus primo concipit, & incendio ſenſim latius per univerſa gliſcente, ex toto demum incenditur, ſimulq; æſtu & motu citatiſſimo in vaſis urgetur. Ita frigus externum, adſtringentia balnea, &c. quæ porulos cutis vel obſtruere, vel conſtringere & claudere apta nata ſunt, Febrium frequentiſſimæ cauſſæ exiſtunt: & leviores quum fuerint, Diariam; quum vehementiores, Synochum conſuete proferunt.

6. Quarto, Effectum conſimilem, tametſi magis immediata virtute, infert *Calidorum Contactus*. Quum enim ſit de Agentium naturalium natura, ut qualitates, quibus ipſa prædita ſunt, corporibus contiguis impertiant; de neceſſitate conſequitur, ut quæcunq; calidiora corpori noſtro occurrunt, atq; forinſecus applicantur (cujus cenſus ſunt ſolis æſtus, omniſq; ambientis fervor, ut & medicamenta calefacientia) calorem quo inſigniuntur, eidem

eidem per contactum imprimant. De Calidis autem è propinquo agentibus eadem prorſus eſt ratio: hincq; evenit, quod partes corporis Phlogoſi, Eryſipelate, Bubone, Anthrace, aliove quovis tumore calido ferventes, vicinis partibus communicare ſoleant, & Febres Symptomaticas vulgo (minus recte tamen, ut alibi forſan ex profeſſo demonſtrabimus) vocatas excitare.

7. Quinto, Et quod res calidæ corpori noſtro forinſecus tantum admotæ præſtant, illud certe multo valentius præſtare poſſunt *intro* & in viſcerum meditullia admiſſæ, ſive cibi potuſve ſint, ſive medicamenta, vel aer calidus & æſtuans intra pectus inſpiratione attractus. Atq; his modis agant neceſſum eſt omnes illæ cauſſæ, quæ corporis eucraſiam immutando, eidem morbos inferre valeant in intemperie calida eſſentialiter fundatos: aliæ nimirum corpus immoderate excalefaciunt per ſe, ſive propria ſua virtute; ut Calida tum extra admota, tum intro aſſumpta: reliquæ vero per Accidens, ſive proximioris cauſſæ interventu, quemadmodum Motus vehementior, Putredo, & porulorum in cute coarctatio.

8. *Frigidæ* intemperiei Cauſſas quod attinet; eæ omnes, quotcunq; & qualeſcunq; ſint, â Recentioribus commodiſſime ad Quatuor ordines revocantur: quorum primus omnia complectitur ea, quæ corpus noſtrum immediate propriaque vi alterando refrigerant; ſecundus, quæ calorem vitalem ſuffocando: tertius, quæ eundem diſſipando pro-

fuſius; & Ultimus, quæ pabulum calori nativo ſubtrahendo, idem agunt.

9. (1) *Alterando* & per ſe infrigidant, aeris omniumq; frigidorum occurſus.

10. (2) Calorem vitalem *ſuffocando* frigidam intemperiem accerſunt, tum quæ halituum ſanguinis ex arteriolarum finibus per habitum corporis exploſionem continuam impediunt; cujuſmodi ſunt ambientis aeris frigus, balnea aluminoſa, &c. quæ ſpiracula cutis conſtringant claudantque; tum quæ Biolychnii flammulam ſeu nimia copia, ſeu cruditate ac craſſitie alimenti quaſi obruunt; cujus ſortis ſunt ingens ſanguinis plethora, â polyphagia, aut conſuetæ alicujus hæmorrhagiæ ſuppreſſione proveniens; item ejuſdem ſanguinis cruditas, & fixitas, qua is â ſpiritibus vitalibus attenuari, volatilizari, incendiq; denuo minus aptus evadit; quo pertinent etiam magna ſupervacuorum ſuppreſſio, otium, ſomnus nimius, motus atq; triſtitia. Hoc autem externæ ac viſibilis flammæ exemplo haud incommode poteſt explicari. Nam ſicut ardentis candelæ flamma cito â ſuis fuliginibus extinguitur, ſi cucurbita aut ſimile quid concavum ipſi injiciatur, quo privatur circumfuſi aeris ventilatione: ita & Flammula cordis opprimitur & quaſi ſuffocatur, ubi ſanguinis exhalationes per diaphoreſin difflari prohibitæ, intuſq; præ viarum anguſtia retentæ, in eam confertim & facta conglomeratione refluunt, ipſiuſq; micationem impediunt. Deinde, quemadmodum ſenſim langueſcit ignis

Digitized by Google

ignis culinaris tandemq; emoritur, quando nimia ut ut alias quam facillime incendibilis fomitis copia obruitur: ita vitalis igniculus ſanguinis vel puriſſimi redundantia prægravatus, paulatim marceſcit. Deniq; ut flamma eo citius ac facilius fatiſcit, quo majori lignorum viridium multitudine opprimitur: ſic eo languidius ardet micatq; flammula vitalis in cordis ſacrario, quo crudiori fixioriq; ſuſtentatur ſanguine, qui non niſi difficillime illi cedat in alimentum.

- 11. (3) Calorem vitalem *Diſſipando* frigidam inducunt intemperiem, quotquot ſpiritus (caloris authores) & ſanguinem (caloris ſubjectum primarium) immoderatius exhauriunt; cujus cenſus ſunt tum animi tum corporis motus nimii, circumfuſi aeris æſtus, cibi potuſq; calidiores ac diſcutientes, immodicæ vacuationes, vigiliæ, mœror, cura atque ſollicitudo, ac præſertim præmatura & effrenata Clinopalis; indeq; eſt, quod frequentius laſcivientes immaturam ſenectutem incurrunt, atque Macrobii fiunt. Sub eodem lemmate cadit item Bilis, ſi forte in maſſa ſanguinea redundet atq; ferociat. Quamvis enim ſulphureæ ſit promptiſſimeq; accendibilis naturæ, eoq; nomine inter calidioris intemperiei cauſſas effectrices potius recenſeri ſæpenumero mereatur: eo ipſo tamen, quod apta exiſtat nutritionem partium, ſive irritando importune Excretricem, ſive ultimum attenuando alimentum, nonnihil impedire, & ipſam conſtitutionem inſitam partium eliquando extenuare, ſpirituſq; adeo inſitos, influentes nimium acres ac vo-

races reddendo, abſumere & diſſipare; ad numerum eorum, quibus atteritur ac diſſipatur calor vitalis, haud indigne referri videtur. Hincq; fortaſſis contingit, quod Birioſi ſint & extenuati habitus, & ἐυσάρχοις (cæteris paribus) minus vivaces. Quippe, cum vita, tanquam lumen, in naturali Calore conſiſtat; calor autem naturalis in perpetim de novo accenſis ſpiritibus reſideat, ac conſervetur: quid mirum, ſi ex profuſiori ſpirituum impendio (quale bilioſis maxima ex parte ſolenniter contingit) vita ocyus extinguatur?

12. Poſtremò, & intemperies frigida in corpore excitatur, contabeſcente calore *ex neceſſarii alimenti defectu*. Etenim omnibus Animantibus â natura inſitum vivendi inſtrumentum eſt Calor nativus (i.e. in ſanguine â ſpiritu vitali perpetuo accenſus) qui ut ignis noſter in ligno, ſic ille in triplici corporis ſubſtantia ſolida, humorali, & ſpirituoſa ſedem habet, quam aſſidue depopulatur & abſumit; brevi perituram, niſi novo identidem eſculentorum & potulentorum appulſu indies reficeretur: haud ſecus atq; ellychnii flamma, ſi ipſi nihil vel parum nimis olei ſubminiſtretur, marceſcit tandem & extinguitur. Quo reſpiciens Medicinæ princeps *Hippocrates* (1. *Aph.* 14.) pluri alimento puberum corpora indigere ſcripſit; quia plurimum hujus caloris obtinent; alioquin, inquit, conſumitur eorum corpus: contra, ſenum corpora, quia pauco calore prædita ſunt, paucis egent ſuccendiculis. Nihil mirum idcirca eſt, ſi calor nativus, in quo vita conſiſtit, ſubſtracto alimento, mox fatiſcat:

cat: illico ſuccedenti frigore, quo mortem deſignavit *Ariſtot.* corpus inanime relinquens. Atq; hac ratione diutina inedia, & ciborum penuria, vel utilium ſuccorum, Sanguinis ſcilicet, quo tanquam oleo Flammula vitalis continuo conſervatur & inſtauratur; & Roris Nervorum, quo partes ſolidæ dietim reſarciuntur, evacuatio nimia, calorem nativum depauperando, frigidam intemperiem inducunt. Ne vero quis miretur, cur pleræq; ex eis, quas intemperiei calidæ cauſſas modo diximus, heic etiam inter cauſſas frigidæ â nobis ſint recenſitæ: ſciendum eſt, omnes cauſſas, quæ alias intemperiem calidam inferre ſolent, ſi exceſſu nimiæ ſint, aut diutius inſideant, fieri etiam cauſſas frigoris. Exempli grat. vinum modice hauſtum, utile ſuppeditando alimentum, calorem auget; nimia vero copia ſumptum, eundem obruit & ſuffocat. Quod æque verum eſt quoq; de cæteris.

13. *Humidæ* intemperiei Cauſſæ generis ſunt duplicis; *Aliæ* nimirum *alterando* immediate; *ſupervacuas humiditates* in corpore præter naturæ inſtitutum importune *retinendo Aliæ,* corpus ſupra modum humectant. *Prioris* generis ſunt humidum & pluvioſum cœlum, balneæ dulces præſertim â cibo, potus liberalior, humectantium ciborum copia, & medicamenta humectantia: efficiunt enim hæc omnia, qualitatem ſuam exuperantem imprimendo, ut corpus immodica humiditate univerſim inundetur. Ad *Poſterius* autem ſpectant, Excrementorum, Seri præſertim & pituitæ, parcior evacuatio, vita otioſa ac effæminata, ſomnus multus,

Digitized by Google

tus, & prohibita corporis tranſpiratio: quorum unumquodq; in cauſſa eſſe poteſt, ut in corpore minus, quàm par eſt, humoralis ſubſtantiæ fiat â calore nativo diſpendium.

14. *Sicca* vero intemperies â contrariis invehitur cauſſis; nimirum vel ab alteratione Exſiccantium, cujuſmodi ſunt cum intus aſſumpta Alimenta, aut Medicamenta, quibus extenuandi diſſipandiq; vis ineſt eximia; tum admota extrinſecus, vel ambientia, velut aer ſiccior, & balnea aluminoſa, nitroſa, ſulphurea, bituminoſa: vel â nimia humorum utilium Reſolutione, ſive per vacuationes manifeſtas, ſive διαφορήσει facta, cum paucitate alimoniæ; exhauſto enim, qui carnes perfundebat, ſucco, jam omnes partes, veluti genio ſuo defraudatæ, præ ſiccitate marceſcant, neceſſe eſt; (quod ſapienter edocuit *Hipp.* eo Aphoriſmo, quo humidioribus corporibus famem ex uſu eſſe monet: λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα,) vel deniq; â meatuum, per quos ſuccus alimentaris ad partem aliquam deferri debuerat, obſtructione; qua intercepto idonei pabuli ſubſidio, pars ſicceſcendo ſenſim contabeſcit; quæ vera eſt Atrophiæ idea. Atque ſic quidem omnes *Simplicium* intemperierum Cauſſas, tum varios Modos, quibus ſingulæ corpus afficiant, compendio verborum perſtrinximus.

15. *Compoſitæ* intemperies â compoſitis ſimplicium cauſſis exiſtunt; aut talem ſimplicem quamcunq; agnoſcunt, cui inſit facultas inducendi qualitatem

Digitized by Google

tatem geminam. Ita aer calidus plerumq; & calefacit, & exſiccat; quod & alimenta calida pleraq; facere poſſunt.

16. Cæterum, quum ex modo dictis intemperiebus vix ullam invenire liceat, quæ nuda, ſive immaterialis diu perſiſtere poſſit, quin ſui ſimilem Humorem aliquem vel progignat, vel accerſat; quumq; non ſolum Tumores omnes præter naturam, ſed & morbi alii partium complures ex humorum congeſtione, aut affluxu oriantur: proximo propterea loco expendendum, quot modis Intemperies cum Materia excitetur; quidq; Fluxionem moveat, & in hanc, non illam partem deducat.

Paucis igitur monendum eſt, Humorem omnem, qui Materialis intemperiei cauſſa exiſtat, vel in parte affecta ſenſim produci & coacervari; vel in eam, factâ Metaſtaſi, confertim influere. *Congeſtus* fit bifariam; vel partis nempe ipſius vitio, vel Alimenti. Ob *Partis* vitium; vel quod allapſum alimentum nec conficere, nec abſumere valens, non pauca inde congerat ſupervacua: vel quod excrementa ea, quæ neceſſario aliàs, & non nimia quantitate genita ſunt, non valeat expellere; idq; vel quia ſeſe, præ fibrarum laxitate, ſatis contrahere nequit; vel quia meatus aliquis excrementis eliminandis deſtinatus, debito modo non patet. *Alimenti* verò vitio; quum illud nimis copioſa ſuppeditat excrementa, vel nimis viſcida, tenaciuſq; parti adhæreſcentia.

17. *Affluxionis* autem cauſſæ communes ſunt (1) *Nimia materiæ Mobilitas*; quum vel copioſior eſt, vel colliquefacta, vel jactata vehementius; talis quippe nequit propria ſede coerceri, ſed ſuopte impetu confertim erumpit effluitque: (2) *Partis Mittentis validior impulſio*; quælibet enim corporis pars privata, quoties humoris alicujus ſeu copia, ſeu pravitate, ſe ſentit ſtimulatam; ad expellendum mox inſurgit, & in alias partes imbecilliores quicquid moleſtum eſt amandare molitur, quod fibras ſuas undiquaq; conſtringendo præſtat: & (3) *Recipientis expulſio tardior*; ubi ſiquidem excipiens exceptum prompte deponere non valet, ab illo prægravetur neceſſum eſt. Unde uſu venit, ut Fluxiones â nobilioribus impulſæ partibus ad ignobiliores ac imbecilliores tum ruant, tum in iiſdem ſtagnent; ſive illæ natura tales ſint, ſive morbo aliquo præcedaneo languidæ. Natura tales dicantur, quæ laxam, mollem, raramq; obtinuerint ſubſtantiam; ut Axillæ, Inguina, Adenes, & alia quæcunq; ſpongioſa molliſq; genita eſt: quæ cum parte Mittente connexum, & vias, quibus humores admittant, amplas & patentes habent, egredientes vero anguſtas; ſicuti ad Renes, ad Pulmones, ad Teſticulos, ad Uterum, ad aliaſq; ſedes, in quas humor illabi conſuevit, prona faciliſq; eſt fluxio; & quæ deniq; ita ſitæ ſunt, ut mittenti ſubjaceant, & ad eas ex mittente via proclivis ſit; quandoquidem materia gravis facilius deorſum fertur, & in proclive devolvitur.

Præcipua autem cauſſa, cur pars recipiens in expellendo deficiat, conſiſtit in *Obſtructione.* Cujus cauſſæ ſunt (primo) *Ineptior partis permeabilitas*, â frigore, â rebus adſtringentibus, â Nervorum vigore & tenſitate aliquo modo nimiis, â compreſſione, â ligatura, â contuſione denique, vel â luxatione exorta: (Secundo) *Materiæ ad permeandum ineptitudo*, ob ejus duritiem, copiam, aut figuram; â frigore etiam, & ſtupore, ſive qualitate narcotica, deniq; â craſſitie, & viſciditate: (Tertio) *Partis â plenitudine oppreſſio*, â victu pleniore, ab intermiſſis exercitiis, & ab evacuationum conſuetarum ſuppreſſione. De quibus impræſentiarum non eſt cur plura addamus.

19. Satius fuerit adnotare, quomodo ex hiſce cauſſis generalibus, *Affluxu* nimirum materiæ, & *Obſtructione*, omnes *Tumores* ſuboriuntur, gerentes ideam humoris, unde nati ſunt: Collecto quippe in parte affecta humore, mox excitatur Tumor, qui pro diverſitate ſucci ſanguinei, bilioſi, pituitoſi, melancholici vel craſſi, appellatur *Eryſipelas*, *Phlegmone*, *Oedema*, *Scirrhus*; aut ſi mixtæ ſit naturæ, mixtam ſortitur appellationem: in privatis etiam partibus quibuſdam peculiaribus nominibus inſigniuntur; ut *Pleuritis*, *Peripneumonia*, *Phrenitis*, *Ophthalmia*, &c. Ex inutili pariter materia (ſucco Nutritio forſan, ſeu luxuriante, ſeu depravato) eadem ratione fiunt *Strumæ*, *Scrofulæ*, *Ganglia*, *Meliceriдes*, *Steatomata*, *Atheromata*, *Acrochordones*, ejuſq; generis tubercula.

Hoc pacto quinetiam *Apoſthemata* ab initio exſurgunt, augentur, ac denuo rumpuntur. Obſtructio nimirum humori affluenti remoram facit, qui propterea in tumorem excreſcit; & hic tandem, factâ circumquaq; diſtentione, cavitatem aut rupturam efficit; quæ, accedente nova materia, perpetuo augetur, donec aperto abſceſſu pus effluat. Atq; hiſce modis, ubi ad partem aliquam humor aliquis pervenit, ſive in ea ſenſim colligatur & congeratur, ſive ad eam confertim affluat; ejus intemperiem immutare poteſt, qualitates ſuas eidem communicando & imprimendo.

Præter tum nudas, tum materiales partium Similarium intemperies, quarum Cauſſis hactenus inſudavimus explicandis; reſtat & aliud adhuc morborum Similarium Genus, quod omnes *Totius Subſtantiæ,* ſeu *Occultarum Qualitatum* vulgo vocatos morbos, in ſe complectitur.

20. Dari hujus ſortis affectus quoſdam, in partes ſimilares inſidentes, perſpicuum eſt, primo ex fide Experientiæ (cujus convictione fueritnè ulla rationum vis præſtantior?) quæ omnium venenorum lethalium, quæ δηλητήρια nuncupantur, quoniam ubi animalis corpus fuerit ingreſſa, totum id momento temporis miraculoſe immutant, velutiq; compendiaria pernicie labefactant & jugulant; energiam longè aliam eſſe â primarum qualitatum efficacia, atq; abditioris originis clare teſtatur. Secundo ex *Hippocratis* (qui divinum Medicinæ oraculum dignè audit) & *Ariſtotelis* (quem ſummi Philoſophi cultu & honore dignatur poſteritas)

aucto-

Digitized by Google

auctoritatibus. *Hic* enim longa argumentorum ſerie reliquit demonſtratum, res quaſcunq; (ergo certe & Hominem) interire & corrumpi, alias ſenſim diſſolutâ temperie, inductâq; putredine, aliàs totâ illius ſubſtantiâ ab externis quibuſdam cauſſis offensâ. *Ille* autem, quum morbos alios â victus genere, alios â ſpiritu, quem trahimus, fieri docet; hunc idcirco in omnes publicè graſſari arbitratur, quod inſpiratus aer omnes indiſcriminatim attingat, qui Νοσηρὴν ἀπόκρισιν (quam *Expirationem* recte interpretatur *Galenus*, proprietate totius ſubſtantiæ inſenſam) in ſe continet. Tertiò ex apodictico hocce ſolertiſſimi *Fernelii* ratiocinio. "Eſto, inquit, quiſpiam deleterium medicamentum "hauſerit, quo è vita ſit exceſſurus. Id quidem "ſenſim partium omnium, maximeq; principum "ſpiritus, humores, totamq; ſubſtantiam labe-"factabit atq; corrumpet, dum tandem mors ſe-"quatur & interitus. Partium autem corruptio & "affectio tanta, quæ actionem primum ac per ſe "lædit, morbus eſt, iſq; verè Similaris, quòd cum "omnis inſtrumenti ratio integra perſiſtat. Atqui "intemperies non eſt. Idipſum igitur ſit oportet "Similaris morbi genus, quod nos ſubſtantiæ cor-"ruptelam appellavimus.

21. Hi morbi *totius ſubſtantiæ* dicuntur duplici jure; ſcilicet quia ipſorum Cauſſæ neq; primis, neq; ſecundis qualitatibus, ſed totius ſubſtantiæ proprietate, ſeu (ut *Hippocratis* phraſi utamur) κατὰ τὰς ὅλας οὐσίας, corpori noſtro ἀλλοίωσιν ſive mutationem inducunt: & quia ejuſdem quidem

neq; temperamentum, neq; qualitates, ſed totam ſubſtantiam (quo nomine Spiritus Vitales, partiumq; inſitos, qui omnia regunt & continent, intelligi expedit) primum ac per ſe afficiunt atq; immutant.

22. Nec minus recte tamen *Qualitatum* etiam appellantur *Occultarum*; quandoquidem eorum Cauſſa & ratio abdita, deliteſcens, & occulta, neq; demonſtrari, neq; certo explicari poteſt: utpote quæ non â primis ſimplicibuſq; rerum naturis ortum ducens, ſed illarum ordinem longe prætergreſſa, vix ulla poteſt mentis humanæ acie comprehendi; Deo duntaxat cognita immortali, qui univerſitatis rerum parens atq; author eſt. Quo reſpiciens perpetuus artis noſtræ Dictator, *Hippocrates*, unumquemq; jubet agnoſcere & obſervare, [ἐὰν δὲ Θεῖον] ſi quid in morbis *Divinum* ineſt, ut bonum & admirabilem Medicum ſe præſtet: veterum more, quicquid admirabile ſupraq; modum ingenii humani videretur, Divinum modeſte appellans. Quem locum explicans *Galenus*, *Divinum* interpretatur ambientis nos aeris conditionem, non eam ſane quæ in primis eſt qualitatibus, ſed multo præſtantiorem occultioremque, quam in Νοπρίῳ ἀπέχειν rejecit *Hippocrates*, quæque vis quædam videtur deleteria toti noſtræ ſubſtantiæ prorſus inſenſa ac exitialis. Et merito quidem; quippe non pauci ex his, qui in nobis fiunt divini occultiq; morbi, efficientem cauſſam habent toto confuſam aere, quaſi ſparſum quoddam morborum Seminarium, cujus vis eſt vitæ primordiis ſumme hoſtilis ac perniecioſa.

23. Porro

23. Porro *Venenatorum* morborum Charactere quoq; inſigniuntur; idque, noſtro quidem arbitratu, conſultiſſime. Quum enim de ſtrictim ſic dicti Veneni eſſentia ſit, ut Animalis corpori quomodocunq; communicatum, illius univerſas, aut particulares ſaltem quaſdam, eaſq; principes ac vitæ ſumme neceſſarias functiones, incomprehenſo modo, atq; ferocia indomita adoriatur & lædat; ſpiritus (totius conſervatores) proffliget; humorum utilium, Sanguinis præſertim & Balſami Nervorum, motus ac fermentationes pervertat, eiſdemq; coagulationes ac corruptiones primum, & deinde partium ſubſtantiæ corruptelam ocyus tardiuſve inducat; hiſq; demum modis in ſummum vitæ diſcrimen conjiciat: Quumq; è dictis morbis pleriq; hæc omnia in nobis pari ſævitia, pariq; exitio præſtare communiter animadvertantur; quid impedimento eſſe poſſit, quo minus ad τῶν θειασμῶν, ſeu Venenorum indolem, atq; malitiam quam proximè accedere reputentur?

Cæterum, circa diverſa horum nomina, quàm de propriis Cauſſis, nos minus anxii eſſemus oportet: quoniam utrum totius ſubſtantiæ, an vero occultarum qualitatum, an deniq; venenatos vocitaveris; genuini Artis Apollineæ filii ſemper eos deſignari intelligent, qui tota ſpecie & vi deleteria nos vel graviſſime offendunt, vel plane enecant; & quoniam hujus diſquiſitionis noſtræ potiſſimum intereſt, ut (tametſi haud ſatis ἀκριβῶς fortaſſe, conſueto ſaltem dilucidius) explicare conemur, qua ratione, quibuſq; modis ipſorum Cauſſæ tam diræ

dira atq; horrenda ſymptomata in corpore noſtro excitare valeant. Qua quidem in contemplatione ut felicius verſemur, & quantum ferant cæcutientis ingenioli noſtri vires, Lectoris animum ſumma Zetematis obſcuritate, rerumq; eò ſpectantium confuſione liberemus: æquum eſt paucula præmittamus de natura Venenorum in genere, deq; ritu, quo ex iis pleraq; tanta in nos agant immanitate, ut quicquid ſubſtantiæ noſtræ attigerint, in ſuam naturam ſubito ac furtim trahant, atq; immutent, nec ſævire deſinant, dum ſenſim ſerpant in omne corpus.

Monendum eſt igitur,

24. *Primo*, Quod ſicuti in ampliſſimo Naturæ campo immenſa reperiatur varietas Venenorum, ſi diverſas ipſorum formas, & loca in quibus naſcuntur conſideremus: ita, ſi ad ſubjecta in quæ promptius agant, varioſq; hæc lædendi modos reſpiciamus, eorum non minor occurrit diverſitas. Nam quamvis omnia Θανάσιμα in eo conveniant, quod φθαρτικὰ τῦ σώματος, corporis corruptiva ſint; & quamvis ex eis dentur haud pauca, quibus tam inſigniter deleteria vis ineſt, ut indiſcriminatim quodvis adoriantur, illudque, feralis inſtar ignis, vi cauſtica redigant in cineres: ſunt tamen nonnulla etiam, quæ certas quaſdam corporis partes, cæteris relictis intactis, invadere perhibentur, &, tanquam ſpecifico diſſidio animata, ſeſe nunc verſus Cor, nunc verſus Cerebrum, nunc verſus è viſceribus alia diffundere. Æque varius deinde eſt Modus ipſe, quo nos ad interitum ducunt. Quippe

ex

ex eorum cenſu, quæ Cerebro determinatè inimica creduntur, alia torporem & Coma ſomnolentum; alia convulſiones, riſum Sardonium, deliria varia, Tarantiſmum ſive inſanum Choreas ducendi deſiderium inducunt; alia è diverſo mœſtitiam, timiditatem, & fatuitatem ad mortem uſq; durabilem pariunt: & eorum pariter quæ Cordi inſidiantur, alia lipothymiam, ſyncopen, frigidoſq; ſudores accerſunt; alia autem dolores vehementiſſimos, ardores, inflammationes, febres excitant; & ſic de cæteris. Ut certiſſime conſtet, quod ſicut ſua eſt cujuſq; veneni ſpecies & natura; ita ſuus cujuſque ſit in nos agendi modus pecularis: unde ab aliis venenis alia ſymptomata inducantur.

25. *Secundo,* Quod quanquam hæc vera ſint; & in tanta Venenorum diverſitate reperiri vix poſſit unum, quin aſſiduum incrementum ſumens, ſenſim prorepet in omne corpus, univerſamq; ejus Oeconomiam denuo demolietur: rationis patrocinio tamen haud prorſus deſtituti videbimur, ſi duplicia tantum ſtatuamus ſubjecta, quibus uniuſcujuſq; veneni labes proxime & immediate infligatur imprimaturque, & quorum interventu reliquum corporis conſequutione quadam inquinetur. Hæc autem, ſicuti nos quidem arbitramur, ſunt *Nectar Vitale*, univerſum corpus perenni circuitu circumfluens; & *Spiritus Animales*, una cum *Rore Nervorum*, quem è Cerebro ac Medulla ſpinali in omnia membra diffundi in præcedentibus explicate diximus. Nam

26. De

26. De *Sanguine* res adeo clara eſt, ut citra experientiæ offenſam fides non abrogari poſſit. Primo enim compertum habemus, exiſtere Toxica quædam Cardiaca, ſeu quibus cum Spiritu Vitali, & ſanguinis maſſa peculiare intercedit diſſidium; ut ipſamet vitæ principia hoſtiliter aggredi cenſeantur, Cerebro interim ab omni noxa, ab omni perturbatione remanente prorſus immuni. Hincq; proculdubio uſu venit, quod â Pharmacis quibuſdam θεραπικοῖς icterus flavus, aut niger; modo Elephantiaſis, modo affectus leproſi, fædæq; totius corporis intumeſcentiæ producantur. Quod his, qui â Serpente Hæmorrhoo morſi ſunt, ſanguis per omnes corporis vias confertim effundatur. Quod è cryptis ſubterraneis, ut & â recens accenſis carbonibus erumpentes vapores, non raro Spiritus Vitales ſuffocent, unaq; ſanguinem congelent, ac in motu ſuo ſiſtant, quo minus in corde perennet vitæ flammula. Quodq; â Miaſmate λοιμώδει Ecthymata & Exanthemata (certiſſima ſyderati ſanguinis indicia) in cute agminatim efflorеſcant. Deinde, ex Circulationis Harveanæ doctrina indubitato conſtat, quod in ictu venenatæ ſagittæ, ſerpentum morſu, punctura phalangii aut Scorpionis, aliiſq; id genus toxicis, quæ forinſecus nobis adveniant, virus â particula læſa mox una cum revertente ſanguine ad cor deferatur; unde extrorſum diffuſum, ſpiritus, ſanguinem, humores, partiumque ſubſtantiam contagione labefactat: nec ulla alia excogitari poſſit ratio probabilis, cur cuti inflictum venenum ſenſim in principes corporis partes ſerperet,

ſerperet, ipſaſq; permutaret & deſtrueret. Quibus ſubjungatur & hæc conſideratio, quòd è forinſecus admiſſis venenis alia quidem citius, alia tardius vires ſuas prodant: hujus autem diverſitatis ratio ab expeditiori ſegnioriq; ſanguinis inquinatione videatur potiſſimum petenda. Quippe, ſi virus inflictum ſtimulo donatur acutiori; tum contingit, ut vis ejus lethifera ſanguinis maſſæ impreſſa, in ſæviſſima ſymptomata è veſtigio erumpat, indeq; conſequatur modò febrilis effervеſcentia, cum vomitu, ſiti, & præcordiorum æſtu; modò totius intumeſcentia, cutis diſcoloratio, ſæpe exanthematum & anthracum eruptio, non raro item repentina virium proſtratio, in tantum ut ſubita mors ſine tumultu, ferèq; inſenſata obrepat; & omnia hæc inſigniter corrupti, tacitèq; ſyderati ſanguinis interventu. E contrario, quoties venenum hebes eſt, & ſegnioris activitatis; id ipſum non ſtatim ſe prodit; nec fera ſui indicia exſerit, dum poſt longa temporis intervalla tacita fermentatione maturetur, & prius totam ſanguinis maſſam infecerit: uti obſervare licet in quibuſdam venenis, quæ perhibentur ad diſtans, & non niſi poſt aliquot menſes, aut annos perimere; cujus ſortis eſt demorſu eructata rabidi Canis ſaliva, quæ tam ſegniter in ſanguinem agit, ut raro ante diem vigeſimum, interdum non niſi anno ſymptomatis ſe prodat. Ubi obiter notandum, quòd ſi ſpiritus vitales (ſanguinis cuſtodes) ab hoſte laceſſiti, ipſam aggredi, & de victoria certare valeant; a conflictu hoc ingens ſanguinis ebullitio, febrilis incendii æmula, concitetur: ſin vero veneni particulæ, viribus longe potiores,

Digitized by Google

ſpiritus iſtos ſubito profligent ac extinguant; tum ſtatim maſſa ſanguinea tanta pernicie corrumpitur, ut nec in vaſis circulari poſſit, nec in corde rite accendi.

27. Quo loco ſi forſan inquiratur adhuc, *quas Mutationes in ſubſtantia conſiſtentiavè ſua ſubeat labe venenata infectus ſanguis, unde vitæ ſuſtentandæ minus idoneus reddatur?* Reſpondemus, quod quanquam iſtiuſmodi alterationes adeo in tenebris fiant, ut ipſarum ratio formalis omnino nos lateat, neq; ratione, neq; ſenſu, ſed ſolo eventu & experimento comprehenſa: factâ tamen cum affectibus aliis conſimilibus comparatione, arbitrari liceat, poſſe eas omnes vel ad *Fuſionem*, vel ad *Coagulationem* in generè reduci. Sunt enim venena quædam, quæ ſanguinem ferociter agitando fundunt, ejuſq; ſeroſitatem nimis præcipitant: cujus cenſus ſunt Pharmaca illa ferociora, quæ vel hypercatharſi deleteria, aut urinæ profluvio, aut totius intumeſcentia, vel fæda cutis diſcoloratione, vel puſtularum eruptione, profuſiorem ſeroſi laticis ſecretionem faciunt; dum interea magna ebullitio ſanguini inducitur, qua Spiritus vitales copioſe diſperduntur, ſalis & ſulphuris particulæ ab effervеſcentia immoderata ſupra modum exaltantur, & ſæpe aſſantur, adeo ut icteritia aut flava, aut nigra conſequatur. Ad quam claſſem pertinere videtur etiam Serpentis Hæmorrhoi virus, de cujus ſtupenda facultate mentionem ſupra fecimus. Exiſtunt autem & alius generis venena, quæ ſanguinem congelant, ejuſq; mixtionem deſtruendo corrumpunt.

Quoties

Quoties enim â veneno profligati ſpiritus vitales diſſipantur, aut extinguuntur, æquabilem ſanguinis mixtionem diſſolvi neceſſe eſt; unde particulæ craſſiores ſe mutuo implicant, &, inſtar lactis ab infuſo acido, invicem coagulantur; eoq; pacto grumeſcens ſanguis in vaſis circulari redditur inidoneus. Hujus coagulatæ portiunculæ per venas intus ſubeuntes, inq; cordis ventriculos delatæ, illic ſtagnare aptæ ſunt; eoq; nomine crebras ſyncopas & lipothymias pariunt: extrorſùm vero effuſæ per arterias, modò uberius congeſtæ per totum nigredinis ſuffuſionem inducunt; modò parcius ſparſimq; erumpentes, maculas tantum, aut vibicum inſtar ſtigmata purpurea, cæteraq; indomitæ malignitatis phænomena conſtituunt. Et in hoc quidem Venenorum ordine primum ſibi locum vendicare videatur infenſiſſimus iſte generis humani hoſtis, Miaſma *Peſtilentiale*; cujus vim deleteriam in hoc potiſſimum conſiſtere reputemus, quòd Spiritus vitales quam ocyſſimè extinguendo, univerſam ſanguinis maſſam coagulare faciat: id quod Exanthemata interdum purpurea, interdum viridia aut nigra, in cute efflorеſcentia (horum quippe materia nil aliud videtur, quàm mortificati coagulatiq; ſanguinis portiunculæ foras in extimam Epidermidem protruſæ, illicq; hærentes) dilucide teſtantur; & permagna rationum vi perſuaſum reliquit doctiſſ. *Williſius* noſter, in libro ſuo *de Febribus*.

28. Quod ad *Spiritus Animales* autem, roſcidumq; *Nervorum liquorem* attinet; experientia

pariter compertum eſt, exiſtere quoq; venena quædam, quæ in hos proximius velutiq; ex determinato diſſidio latenter agentia, Cerebro ſpecifice nocent, univerſoq; generi nervoſo; illæſo interim Corde. Qualia ſunt Solanum hypnoticum, maniacum, Hyoſciamus, Opium, herba Sardonia ſeu Apium riſus, virus rabidi Canis, Tarantulæ, Torpedinis, Aſpidis, cerebrum Felis, venenum Epilepticum, Mercurius, & ejuſmodi alia, Cerebro potiſſimum & Oeconomiæ Animali occulta proprietate infeſta. Deinde ex diverſis horummet effectibus exploratum habemus, quod corpora nervoſa, unà cum Spiritu Animali, haud eodem prorſus modo à quibuſlibet impetuntur afficiunturque; modò enim ſtupore, modò ſpaſmis & motibus convulſivis, iiſq; diverſi generis & moris mulctantur. Ex. Gr. à Tarantulà demorſi inſana tripudiandi libidine tentantur; è Torpedine piſce per tridentem, aut retium funiculos vis tranſmiſſa, manum piſcatoris ſtupefacit; Paſtinacæ ſylveſtris radices, aut Lollii ſemina comeſta inſaniam inducunt; Opium, Mandragora, Hyaſciamus, &c. Narcotica ſomnum altum, & haud raro lethalem accerſunt; Vulneratis ab Aſpide ſupervenit capitis gravedo, oculorum caligo, ſenſuum hebetudo, ſtupor, ſegnities, ſomnolentia, corporis refrigeratio, crebræ Oſcitationes, Spaſmus, Convulſio, & tandem, niſi cito ſuccurratur, trium horarum ſpatio, ipſa mors. Hæc autem & pleraq; alia ſymptomata contingere ſolent ſine inſigni aliqua ſanguinis perturbatione, aut noxa cordi illata. Argumentum profecto apertiſſimum, quod Veneni

corpuſcula,

corpuſcula, quamcunq; in corporis partem impegerint, Spiritus ſtatim Animales apprehendant, eorumq; interventu ac quaſi vehiculo primum in Nervos, ac deinde in Cerebrum convehantur: ubi nunc ipſam met cerebri ſubſtantiam, ac Meninges, ut & origines Nervorum graviter ferientia & laceſſentia; nunc vero in Nervis confluum Succum Nutritium fermento ſuo inficientia ac corrumpentia, modo hæc, modo illa ſymptomata dira reſpectivè inducunt.

Sed metam nondum attigimus, & non in media via vecorditer ſubſiſtendum. Heic Quærent inſuper curioſi, *Quanam ſint Alterationes illæ, ſive noxæ impreſſiones, quas Spiritus Animales, unà cum Cerebro & appendice nervoſo, à dictis Venenis patiantur, ut functionibus ſenſus & motus rite obeundis non ſufficiant?*

29. Dicimus igitur, quòd etſi non facilè perſpici poſſit, quis optimus Spirituum Animalium in Cerebro nerviſq; ſit ſtatus, nec quibus illi modis de optimo ſtatu decedant; quantum tamen per conjecturam nobis aſſequi liceat, haud improbabile ſit, Spiritus hoſce à Veneno vel *Figi* prorſus, & in motu ſuo impediri; vel impetuoſe inq; varias motuum Anomalias *exagitari*.

Circa *prius*, Spirituum ſcilicet *Fixationem* ac Congelationem; res nec obſcura quidem, nec difficilis admodum videtur. Quum enim Spiritus Animales, quibus rara Nervorum corpora inflantur, quorumq; è cerebro excurſu, ad idemq; recurſu ordinato ſenſus & motus actiones peragi cenſemus,

Digitized by Google

mus, ſint ſubſtantiæ admodum ſubtilis; ideoq; in motibus ſuis poſſint vel leviſſima quaq; cauſſa aut perverti, aut intercipi: quoties Venenum aliquod fixativum, ſeu vi ſtyptica donatum occurrit, idipſum certe eos apprehendere poteſt, & adeo in Nervorum meatibus inconſpicuis figere, ut ulteriori progreſſu prorſus priventur; unde movendi ſentiendiq; potentias intercipi neceſſe eſt. Hicq; forſan modus eſt, quo omnia Venena Hypnotica ac Narcotica dicta nobis modò profundum lethoq; perſimilem ſomnum, modò ſtuporem omnimodamque ſenſus privationem inducere ſolent.

Quoad *Poſterius* autem, effrenatam nempe Spirituum *Exagitationem*; ſi Cerebro Nerviſq; inflicti Veneni particulæ tali ſint ferocia præditæ, aut ejuſmodi configurationis, ut cum Spiritibus Animalibus fermentationis vinculo unitæ, impetuoſe effervеſcant, & horſum vorſumq; commoveantur: eos ab expanſione ac excurſu ſuo ſæpe in fugam & retroceſſum cogere poſſunt, & non raro in varias motuum Anomalias præ orgaſmo adigere. Hincq, cerebri & nervoſarum partium affectiones diras, Convulſiones nimirum, Tremores, Reſolutiones, Rigores, reliquaq; peſſimæ notæ ſymptomata profluere arbitramur. Et quidni ita arbitremur? Equidem rationis fide conſtat, quod & ipſimet Spiritus Animales, & Venenati Miaſmatis particulæ adeo agiles ſint, inq; motum quemvis vel perniciſſimum comparatæ; ut alterutræ per totam alterius maſſam citiſſime, tanquam luminis radii per medium diaphanum, trajiciant. Et autopſias teſtimonium habemus, Nervos tenerioris

eſſe

Digitized by Google

eſſe texturæ, ſenſuſq; exquiſitiſſimi; ut objecta quævis vehementiora minime ferant. Id quod vel exinde fiat perſpicuum, quod in ira, excandeſcentia, horrore, aliiſq; nonnullis Animi pathematis fortioribus contingit nonnunquam paralyſes, tremores, contracturas membrorum ſubito ingruere; reſolutis nempe, aut contractis etiam ob Spirituum Animalium æſtus & agitationes inordinatas, Nervorum funiculis. Quinimmo, quando Succus Nutritius, quo reparari deſiderant, nimis acris, acidus, auſterus, aliave admodum incongrua qualitate infamis eis ſuppeditatur; ut in Scorbuto inveterato haud raro accidit; iſthac injuria laceſſiti modò tenſitatem ſuam deponunt, ac reſolvuntur; modò ſeſe verſus originem, præter voluntatis imperium, contrahentes, ſpaſmos ἀλγεινοὺς ac rigiditates artuum efficiunt. Quid igitur ſtatuendum exiſtimes de malignis veneni effluviis, quæ & longe expeditioris energiæ ſunt, & nervoſo generi multo magis improportionata atq; infeſta?

Cæterum quæ alterutro è dictis modis, figendo nimirum, vel impetuoſe exagitando Spiritus Animales, in Cerebrum & Nervos agunt Venena; modo craſſiora exiſtunt, & ſolum quando in ſubſtantia valde corporea applicantur, noxam infligunt: modo tenuia admodum ac fere corporis expertia, ſenſuſq; noſtros effugientia; adeo ut è punctulo quodam in extima cute atomi virulentæ, fermenti more intus ſubeuntes, ſeſe per totum genus nervoſum quam ocyſſime diffundant. Virus interdum rei pernicioſæ comeſtum, primo in ventriculo inchoat tragœdiam; unde diræ vomitiones, ſingultus,

cholera,

choleræ, dyſenteriæ, &c. ſæpius ſimplici contactu in ſuperficie corporis miaſma funeſtum relinquit, quod cito & perfacile fermento ſuo contagioſo ſpiritus per totum diſperſos corripit & contaminat. Et labes extremitatibus Nervorum ubivis, ſive intus ſive extus, inflicta, facili eorundem ductu latius diſpergitur; illico pluribus ejuſdem rami ſurculis, ac ipſomet demum Cerebro in mali conſenſum adductis.

Jam vero, hiſce de natura Veneni in genere; de ſubjectis quibus Miaſma Virulentum, cujuſcunq; demum ſortis ſit, proximè ac immediatè imprimi ſolet; deq; diverſis modis, quibus venena nos diris ſymptomatis ſemper excruciant, & haud raro è medio tollunt, præmiſſis: proxime conſequitur, Venenatorum Morborum Cauſſas, harumq; differentias præcipuas indagare ſedulo conemur.

30. Quoad eorum *Cauſſas* itaq; obſervandum eſt, ejuſmodi Cauſſarum quæ abſcondita proprietate nobis contrariæ ſunt, Alias in ipſomet corpore noſtro progigni; Alias forinſecus advenire.

31. Super venenis quæ *intus gignuntur* (quæq; non, ut cætera foris adventitia, primo ſuæ naturæ ortu; ſed longo ordinis progreſſu atq; mutatione talia evadunt) experientia perſuaſum nobis eſſe debet, in excrementis noſtris, immo & in humoribus utilibus corruptionem gigni poſſe adeo inſignem, quæ non modo Veneni vires ac perniciem

exæquet,

Digitized by Google

exæquet, ſed & ipſa tota venenum ſit. Ita enim Syncopen gravem admodum & periculoſam ingruere ſæpe compertum eſt, ſolo ex concreto ſanguinis grumo; maxime ubi is vel in ventriculo, vel inteſtinis, vel in pectore, deinde ubi in Utero vel veſica computreſcens delituit: fitq; ea cum pulſu parvo, reſpiratione difficili, extremorum frigore, & ſudore frigido, ſubortâ interdum febre. Ita in Uteri ſtrangulatu plerunq; mulier ſine motu, ſine ſenſu quaſi extincta jacet, cum pulſu parvo obſcuroq; eatenus, ut interdum ne percipi quidem poſſit; cum animi defectione, & difficili reſpiratione, quæ non modo pectus opprimit, ſed & fauces tanquam manu prehenſas præcludit: hæc tamen omnia vel â ſuppreſſis menſibus, vel â cohibito ſemine proficiſcuntur. Itaq; â pede, vel â digito manus vapor quidam in cerebrum conſcendere ſæpe deprehenditur, auræ frigidæ perſimilis, qui ipſum attingens ſenſus mentemq; perturbat, & Epilepſiam infert. Quibus citra animi præjudicium penſiculatis, quis non vaporem illum ſive â ſanguine menſtruoſo, ſive â retento ſemine, ſive ab alio quovis humore in diſſitiſſimis etiam corporis partibus inſigniter corrupto exortum, multoq; magis ipſummet humorem, unde is prodiit, cenſeat venenatæ qualitatis conditionem ac malitiam obtinuiſſe? Quænam (obſecramus) manifeſta, ſive ex primis, ſive ex ſecundis ſit qualitatibus, hæc tam ſæva poſſit invehere? Hanc ſanè cauſſam, quæ mole exigua, maximas ſolo contactu alterationes inducit, recte *Galenus (6. de loc. affect.)* & Scorpionis & Phalangii ictibus comparat, qui-

bus exiguo veneno per punctulum injecto, totum corpus afficitur, breviq; admodum tempore ſæviſſima ſymptomata invaleſcunt. Nam, ſicut horum Animalculorum venena, corpori per ſenſibus ferè inconſpicuum foramen inflicta, gravia ſymptomata inferunt, dolores, lipothymias, dementias, & infinita alia: ita quoq; vapores exigui è corrupto aliquo humore, ut ut mole parvo, in corpore genito, venenatam pravitatem ſenſim induente eructati, nonnunquam & ſimilia, & majora his inducunt. Hujus rei veritas adhuc porro patet in Febribus malignis, in quibus eadem plane ſymptomata conſpiciuntur, quæ in iis, qui aſſumpto veneno pereunt. Exemplum proſtat illuſtre 3. *Epid. com.* 3. *ægr.* 4. De quo *Galen.* ita eſt ratiocinatus: ***Ut epoto lethali veneno,*** inquit, ***quidam poſtridie vel tertio moriuntur, qualitate ejus, non copia mortem afferente: ita & hic æger ſtatim tertio die cenſendus obiiſſe, à qualitate ſuccorum virulentorum, non à phrenitide peremptus.*** Sed ſoli lucem fruſtrà fœneraſſe cenſeamur; res enim adeo clare ex ſe patet, ut tanto rationum & auctoritatum apparatu minime indigeat.

32. Inter Cauſſas vero, quæ *extra* corpori obvenientes, venenatorum morborum effectrices exiſtunt, recenſeri merentur (*primò*) *Aer* maligno ac deleterio, ſeu peſtilentiali miaſmate inquinatus, ſpirandoq; in pectus admiſſus; (*ſecundò*) *Contagium*; & (*tertiò*) *Venena* ſeu imprudentius *intro aſſumpta*, idq; vel cibi, vel potus, vel medicamenti ſpecie; ut Fungi, Arſenicum, Auripigmentum,

Digitized by Google

mentum, Napellus, & alia prope innumera, quæ non afflatu, non adhæſu, ſed hauſtu ſolo enecant: ſeu *extrinſecus nos attingentia,* ut rabidi canis & venenatarum beſtiarum virus, quod in particulam demorſu apertam eructatatum, contactu eam quidem primum, deinde vero Spiritus ac humores, eorumque interventu reliquum corpus omne, fermentatione pernicioſa, inquinat. De Venenis utriuſq; quidem ordinis â nobis modò diſputatum eſt: reſtat igitur tantum de cœli inquinamento peſtifero, deq; contagio, animi noſtri ſenſum, ut ut forſan â vulgari Medicorum doctrina in nonnullis alienum, ſuccinctè aperiamus.

33. *Aerem* itaq; quod attinet (ut eis quæ ſupra *Exercit.* 5. fuſius ediſſeruimus, heic paucula addere liceat) minime dubitandum eſt, quin omnis Peſtilentia ortum ſuum ducat (ſaltem ſi ad phyſicam & immediatam ejus cauſſam, omiſsâ Summi Numinis vindictâ, reſpiciamus) â venenatis quibuſdam, ſeu Spiritui Vitali noſtro atq; ſanguini ſummè infenſis inquinamentis, aeri paſſim inſperſis. Hæc autem inquinamenta derivari volunt *Nonnulli* â malefico quodam Cœlorum aſpectu, certâq; configuratione Syderum, quæ occultas malignaſq; ſuas influentias, ex definitis temporum intervallis, in globo huic terraqueo circumjectum aera ejaculari, â *Mathematicis* ſupponuntur: *Alii* verò ab *Terrenis* tantùm petunt *Expirationibus.* Quorum ſententiæ, ut conceptui humano magis familiari, & è rebus â ſenſuum noſtrorum ſphæra minus remotis deductæ, nos quidem aſſentimur: alteram

Digitized by Google

tamen, ceu probabilitatis quiddam in ſe continentem, prorſus rejiciendam eſſe minime cenſentes. Nam,

1. Certiſſimum eſt, aerem hunc, cujus inſpiratione vivimus, non eſſe Elementum purum ac ſimplex; ſed conſtare ex ingenti halituum vaporumque congerie, qui perpetim è globo terraqueo expirant, quibuſq; variæ ſalium, ſulphuris, aliorumque mineralium exhalationes confuſæ & commiſtæ, corpuſculorum ἀτμοειδῶν hic denſam quaſi nebulam conſtituunt. Quoniam autem hujuſmodi heterogenea effluvia & motum obtinent perniciſſimum, & figuris admodum inter ſe diverſis inſignita ſunt; neceſſum idcirco eſt, ut alia aliis præ continua inquiete occurſantia, pro eorum tum motibus, tum configurationibus variis, cum his cohæreant, mutuoq; combinentur; ab iſtis vero, reciproca arietatione, repellantur & reſiliant: unde forſan Sympathiæ & Antipathiæ omnis ratio haud incommodè deducatur. A diverſis porro harum Exhalationum motibus ac agitationibus, quæ ad fundum atmoſphæræ, ſive prope ſuperficiem terræ fiunt, hic illevè tractus aeris diverſas ſubit alterationes, quibus corpora compoſita maxime vero Animalium diverſimodè afficiuntur: inteſtinus quippe motus particularum uniuſcujuſq; Animalis à motu & temperie particularum in aere volitantium plurimum dependet. Hæ ſiquidem illas continuo ad motum ac avolitionem ſollicitant, conſopitas exſuſcitant, avolantium diſpendia reparant, flammulam vitalem nitroſitate ſua fovent, eiq; pabulum nitroſulphureum ſuppeditant, &

ad

Digitized by Google

ad Spirituum vitalium accenſionem plurimùm conferunt. Hinc, quamdiu motu & configuratione utræq; conveniunt, ſive apta utrinq; intercedit contemperatio; aer Spiritu ductus omnium Animantium vitam & ſanitatem tuetur ac ſuſtinet: ſin vero aeri innatantia corpuſcula ejuſmodi ſint figuræ & activitatis, ut vitalibus animalium principiis totius generis contrarietate adverſentur; horum â cæteris, quibus colligantur, elementis mixtiones ſolvunt, & motus ſalutares pervertunt. Unde in Animalibus craſes perduntur, vita profligatur; eâq; vix dum extinctâ, corpora putredinem ſubeunt. Hacq; ratione arborum etiam folia, ſegetumq; culmi ſyderatione percuſſi derepente emarceſcunt; ut nil mirum ſit, tantam inter pecora ſæpenumero ex aeris inquinamento graſſari luem, quæ ſimul totas interficit greges; quinimmo Peſtilentiæ ſemina ſparſim per aerem volitantia ſe primo exſerere, & generi humano internecionem intentare.

2. Veritati ſummè conſentaneum eſt, quòd ſicut venenata corpuſcula, in terræ viſceribus ſuperficievè concreta, mixta Arſenicalia, Antimonialia, Mercurialia, Aconitalia, &c. conſtituunt: ita hæc in vaporem uſq; reſoluta, è terræ gremio eructata, inq; aere agglomerata, auras exitiales creent, â quibus morbi maligni ac peſtilentes originem & ſeminarium ſuum ſortiantur. Halituum enim venenoſitas omnis non â putredine quidem ſimplici; ſed â Mineralium, unde eructantur, pernicie profluit dependetque.

Jam

Jam vero, his poſitis, non improbabile videtur, quòd quæ alicui aeris tractui peſtilentiæ ſemina primò affigunt, ſint Mineralium, maxime ſalium ac ſulphurum efferatorum, venenata effluvia; quæ modò è ſpecubus & cavernis, poſt diuturnam incarcerationem, ſenſim exhalantur; modò, poſt terræ motus, ex ejuſdem hiatibus confertim erumpunt, aeris puritatem exitioſis halitibus citò corrumpentia. His autem pernicie finitimi ſunt halitus iſti, qui â militum caſtris ſqualore immundis, ab inſepultis cadaveribus, â locis cœno ſtagnante ac fœtido obſitis, &c. erumpunt. Hujuſmodi enim corpuſcula ad dictum modum exhalata, longa putredine miras δυνάμεις καὶ ἀκερότητας ſibi adſciſcunt; ut propterea aliis quibuſcunq; incongrua ſint & heterogenea: adeoq; in aerem ſuſcepta, ipſum (tanquam liquoris maſſam) fermentent, ac â natura ſua ſalubri & benigna in pernicioſam venenatamq; pervertant; quemadmodum recte Philoſophatur pereruditus noſter *Williſius*, in libro ſuo incomparabili *de Fermentatione & Febribus*.

Et de prima Peſtis Origine, ſeu unde ſæviſſimum illud humani generis flagellum primitùs procedat, tantum: ſupereſt, de ejuſdem *Propagatione*, ſeu quomodo ab alio ſubinde in alium, ab infecto in ſanum, tanquam ex traduce, ſive vi quadam ſeminifica, tranſmigret, paucis inquiramus. Hoc autem per *Contagium* fieri, omnes vel plebei norunt: ideoq; quid ſit *Contagium*, & quæ ejus natura, explicare jam conabimur.

34. *Contagii*

34. *Contagii* nomine, igitur, intelligi volumus *Energiam iſtam, ſive actionem, qua inquinamentum morbificum ex uno corpore in aliud analogum tacitè derivatum, morbum plane conſimilem in ipſo paullatim, & veluti fermentando progignit. Fermentando* dicimus; quoniam ad affectum quemvis contagioſum rite proprieq; ſic dictum conſtituendum neceſſario requiritur, ut à ſe emittat *ſeminale* quoddam ſui generis *Fermentum,* quod ſe latenter in corpora quidem alia, eis tamen unde ipſummet profluxerit analoga, inſinuans, ſenſim morbum ejuſdem ſpeciei in eadem introducat: & quoniam corpus peſte infectum alteri duo communicat, vapores nimirum ſive halitus, quos Græci νοσερὰς ἀποκρίσεις, & ἀποῤῥοίας, morbidas exſpirationes, vel morboſa effluvia nuncupant; & inquinamentum venenoſum, ſeu Semina Peſtilentialia, quæ Μιάσματα καὶ Σπέρματα appellat *Hippocrates,* quæq; fermentationis ope tragœdias ſuas excitant. Quum autem hæc Communicatio ſive traductio μιασμάτων peſtilentialium diverſimode fieri poſſit; ſcilicet vel *immediate,* ut cum per contactum corporis infecti, vel excrementorum inquinamento prægnantium, iſtud ſeminarium imprimitur; vel *mediate,* idq; ſive per *aerem,* ut cum ab una domo in alias remotas labes transfertur; ſive per *fomitem,* ut cum quiſpiam veſtes aut ſupellectilem è domo infecta, poſt aliquot dies aut menſes, aut annos quinetiam tranſlatam manibus ſuis contrectans, peſte corripitur: idcirco ut Contagii natura, unà, cum diverſis ejus modis quibus communicari ſolet, plenius

plenius adhuc innoteſcat; heic expendamus oportet, *Quid illud ſit, quod ab infecto dimanat; quomodo id ſe habeat per medium tranſitus ſui; & quo ritu affectum ſui ſimilem in alio corpore producat.*

35. Circa *Primum* ita cenſendum arbitramur. Effluere continuo corpuſcula quædam ex omnibus rebus utcunq; ſolidis, quæ in aere circumcirca velut nebulam ſive halonem ad extremum diffuſionis ſuæ conſtituunt; olim ſtatuit *Lucretius*, his verſibus,

> *Uſq; adeo omnibus ab rebus res quæq; fluenter*
> *Fertur, & in cunctas dimittitur undiq; parteis:*
> *Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi;*
> *Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper*
> *Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem, &c.*

â nobis in *Phyſiolog. noſtr.* ad *Epicuri* mentem clare oſtenſum eſt, & ab omnibus ferme ſanioris Philoſophiæ cultoribus hodie creditum. Hæc autem corpuſcula, ſive atomorum moleculæ, concretionum earum, quibus decedunt, naturas & conditiones adeo reſipiunt; ut quæ è corpore inſigni aliqua virtute ac efficacia prædito effluunt, ipſæ eandem in ſe ſeparatim tueantur atq; retineant: omnis enim concretio majorem minoremve energiam ſortitur, pro majori minorive particularum, quibus conſtat, mobilitate & activitate. Quæ ratio videtur, cur quæ ab Electro ejaculantur effluvia paleas, feſtucas, plumas, aliaq; conſimilis levitatis corpora verſus ſe movere ac allicere valent; quæ autem è Magnete, ferrum; & quæ â ſulphureis corporibus, qualia

Digitized by Google

qualia ſunt Succinum, Ambra griſea, Camphora, Bitumen, Moſchus, omniaq; Aromata, emanant, totam viciniam odoribus replent. Quum itaq; peſte inquinata corpora halitus venenoſos ſeu peſtilentia effluvia â ſe in circumfuſum aera continuo expirant; quumq; venenum peſtilens, licet mole quidem perexiguum, maximæ tamen energiæ ſit & activitatis: ut ſemina ejus effluxa,aeriq; inſperſa, pari virtute inſigniantur, neceſſariò conſequitur. Ut certo ſtatuamus, idipſum quo peſtilentiæ contagium retinetur & transfunditur, eſſe corpuſcula quædam è corpore infecto vaporum ſpecie exhalata, & originis ſuæ indolem malignam planè referentia.

34. Circa *Secundum* obſervamus, quod quæ ab infectis exhalant peſtilentiæ Semina, ſint naturæ adeo validæ, adeoq; indomitæ, ut in aere licet ventis agitato, aut ſolis ardoribus æſtuante, ſeſe illibata ſatis diu conſervare queant; immo vero inter varias exhalationum confuſiones, aliorumq; corporum alliſiones, ad alia loca transferri, non tantum ad propinquas ædes vel civitates, verum etiam ad longiſſime diſſitas regiones. Cujus rei extant Exempla apud *Appianum Alexandrinum de bello Illyrico*, & *Fracaſtorium de morb. contagioſ. lib.2. cap.7.* Unde uſu venit, ut iſthuc virus, minima licet atomorum congerie conſtans, tenues non evaneſcat in auras, nec facile extinguatur; ſed proxima fermento ſuo imbuat corpora, eoq; pacto ſibi novas copias adſciſcat, vireſq; acquirat eundo: idque præcipue ubi in idoneum ſubjectum impegerit;

Digitized by Google

tum enim ſeſe mox exerit, & peſtem prius extingui viſam de novo reſuſcitat, ſagittas ſuas lethiferas longe lateq; evibrans. Ita ſæpe compertum eſt, â concluſis, multoſq; annos reſervatis veſtimentis, aut lectis infectis, dum jam innoxie contrectari poſſe crederentur, totas familias, imo ex iis tota oppida infecta fuiſſe. Apud *Trincavellium (lib. 3. conſil.*17.) Francazanus narrat, Juſtinopoli poſt ſæviſſimam peſtem funes, quibus mortui ad ſepulchrum deferebantur, poſt capſam quandam abjectos fuiſſe; atq; ibi per annos 20. aut plures latuiſſe: quos cum ſervus loco poſtea moveret, incidit in peſtilentialem febrem, contagiòque illius reliqui infecti ſunt, ut 10000. homines hac occaſione fuerint è vivis ſublati.

37. Heic ſi curioſior quiſpiam illud quærat, *Cur omnia miaſmata, corpore peſte infecto exeuntia, non conſtituunt ubiq; fomitem, ſubjecto commodo ad fomitem dato?* Sciat is, quòd ſemina contagii per ſe tenuia admodum & ſubtiliſſima ſunt; ac propterea deferuntur utplurimum & diſperguntur per aerem, nec facile alicui rei propter tenuitatem & ſubtilitatem adhærent, ſed unà cum aere facillime inſpirantur (unde periculoſa eſt converſatio cum infectis): at ſi illa miaſmata tenaci alicui vapori fuerint immixta, atq; ita ad commodum inanime corpus delata; illi firmiter adhærebunt, & fomitem conſtituent. Et hinc eſt, quòd peſtiferorum noviſſimi halitus (utpote ſeminibus peſtilentialibus ſummè prægnantes) è jam moribundis expirati, contagii feraciſſimum fomitem conſtituere, triſti adſtantium

ex-

experientia ſæpe compertum ſit; quippe moribundorum calor jam pene extinctus, omniq; vigore privatus, putridas fuligines amplius attenuare & diſcutere nequit, ideoq; craſſas tantum & tenaciſſimas exhalationes emittit, quæ cuicunq; corpori obvio facile adhærent, eiq; ſe affigunt. Hicq; proculdubio eſt ille halitus verus (â multis pro fabula habitus) de quo tam mira loquuntur vulgares, cum aſſerunt ſe vidiſſe ab ægro extremum ſpiritum jam reddente exiiſſe venenum peſtilens inſtar parvæ nebeculæ cæruleæ (nam hujuſmodi halitus talem colorem referre videntur, ſi candela ardens paulò longius â lecto adſtet) idq; ſe in hanc aut illam rem in vicinia ſitam inſinuaſſe. Cæterum Fomitis rationem habere poteſt, quicquid ad contagionis ſemina & excipienda & retinenda, donec iterum alteri corpori communicentur, aptum eſt. Talia ſunt omnia, quæ raram, laxam & poroſam ſubſtantiam nacta ſunt, ut linum, goſſypium, plumæ, pelles piloſæ animalium, & quæ ex his conficiuntur veſtes: hæc enim ſubeuntes fumos & vapores [ἀπορροίας & νοσερὰς ἀποκρίσεις] prompte excipiunt, ac diu abſconditos retinent. Contrà verò, quæ ſolida & denſa ſunt, maximè ſi eorum polita ſit ſuperficies, cum effluvia contagioſa haud facile admittant, ad contagium etiam recipiendum & conſervandum minus apta exiſtunt; cujus ſortis ſunt lapides duriores, porphyrii, marmorei, vitra, & metalla. Minime tamen interim negandum, quin parietes etiam & muri contagium ſuſcipere poſſint: quod apud Judæos frequens fuiſſe, ea, quæ in ſa-

cris de Leproſis ædibus dignoſcendis & repurgandis legimus, clare docent. Hinc

38. Circa *Tertium* deniq; ſtatuere liceat, quod quamprimum iſtiuſmodi fomes vel movetur, vel excutitur, vel aliquo modo nonnihil invaleſcit; emergens quaſi è latebris venenum peſtilens in obvium quemq; involat, & correptis primum ſpiritibus, eorum ſocietate ſive vehiculo intus convehitur, ubi ſanguinem deinde & humores quoſcunq; in vaſis confluos fermento ſuo altius inſpirat; iiſq; brevi coagulationem & corruptionem inducit, quemadmodum ſupra indicavimus.

39. Heic autem occurrit haud contemnenda quæſtio illa, *An peſte morboſum corpus ſit contagioſum ratione* Morbi; *an vero ratione Cauſſæ* morbificæ? Super hac igitur difficultate, ſtatuendum cenſemus *utriuſque*; nempe *primariò* Cauſſæ morbificæ ratione, abſq; qua nec contagium, nec morbus fieri potuiſſet unquam, *ſecundario* ratione Morbi; nam poſtquam cauſſa morbifica in corpore generavit morbum, etiam ipſi ſimul impreſſit facultatem ſive potentiam eandem cauſſam multiplicandi, quæ multiplicata ulterius diffundi & diſſeminari poteſt in alios. Eodem prorſus modo ſicut fit in Fermento, cujus exigua portiuncula magnæ maſſæ farinaceæ admiſta, totam mox fermenteſcere facit; ita ut poſtea quælibet iſtius maſſæ particula æque efficax reddatur ad ſimilem quoq; effectum edendum: hæc autem vis iſti maſſæ primariò impreſſa

preſſa eſt â primo fermento, ſecundariò aucta â fermentatione. Atq; ad hunc modum per ſubtiliſſima Effluvia, quæ Fermenti naturam ex integro æmulantur, fieri morbi peſtilentialis veluti tranſmigrationem quandam, ad ſimilitudinem veritatis proxime accedit.

40. Per morbum deniq; *Organicum* ſive Inſtrumentarium unanimiter rectèq; quidem intelligere omnes vitiatam Conformationem, in quovis corporis Organo ſenſibili (ut in brachio, crure, venis, arteriis, nervis, aliiſq; ſimilibus) ſenſibiliter factam, ejuſq; actiones manifeſte lædentem; hancq; conformationem pravam in partium Organum conſtituentium vel Situ inconcinno, vel Figuratione incommoda, vel Magnitudine injuſta, vel Numero indecenti, vel Continuitate interrupta conſiſtere, pridem â nobis dictum eſt. Hicq; nil amplius reſtat, quam ut de dictorum morborum Organicorum Cauſſis generatim eademq, ſerie agamus.

41. Quoad *Situs* vitia, igitur, ſciendum eſt; partem aliquam malè collocari poſſe vel proprii ſui ſitus reſpectu, vel ratione Connexionis quam cum aliis partibus obtinuiſſe debuit. *Prius* quidem contingit, vel quando pars ante nativitatem & in ipſa conformatione in locum indebitum diſponitur; quod ſemper fit ob errorem virtutis plaſticæ, quæ nonnunquam, etſi haud frequenter, partium conſuetas ſedes immutare, & ſiniſtri lateris propria viſcera in dextrum transferre obſervatur; cujus rei

exemplum

exemplum ſane prodigioſum memoriæ conſecravit *Cl. Joh. Riolanus, in Diſquiſitione de tranſpoſitione partium naturalium & vitalium in corpore humano*, ubi quamplurima invenies notatu digniſſima: vel quando ſitum ſibi â natura conſignatum mutat poſt nativitatem; quod fieri poteſt varias ob cauſas. Primò ſcilicet ob partium, â quibus in ſuo loco contineri debuit, laxitatem aut ſolutam unitatem: quomodo, laxatis Meſenterii membranis, inteſtina in ſcrotum per proceſſum Peritonæi delabuntur, & Enterocelem conſtituunt; & vulnerato Abdomine prorſus excidunt; item Uterus, ruptis laxatiſve vinculis, deorſum inter femora ad pugni amplitudinem propendet; & vulneratâ vel eroſâ oculi tunicâ Corneâ, Uvea ſeipſum foras præcipitat. Secundò, ob ligamentorum contractionem nimiam, ſive ea ab exſiccatione, ſive â repletione contingat; neceſſum quippe eſt, ut quælibet pars ſequeretur motum ejus, cui per commune vinculum firmiter adligatur. Tandem ubi pars violenter vel πάσει, vel ὤσει ſede ſua deturbatur; quod in Articulorum luxationibus frequentiſſime contingit. Nam omnis Luxationis & Subluxationis cauſſæ ſunt Externæ, vel Internæ. Hæ ſunt humor tenuis, qui ligamentum emolliendo relaxat, ita ut oſſa liberius vagari atq; acetabulis excidere poſſint; & humor craſſus, qui paulatim cavitatem oſſis excipientis replens, tandem os exceptum extrudit, ob factam Anchylosin. Illæ vero ſunt percuſſio, diſtorſio violenta, caſus, membri diſtenſio, &c. *Poſterius* autem fit, cum pars, quæ alteram contingere debebat, eam non attingit; aut è contra eæ, quas ſejunctas eſſe decebat,

decebat, conjunguntur: quorum utrumq; eaſdem fere cauſſas habet, quas ſitui vitiato poſt ortum contingenti modò aſſignavimus. Nam, cum diverſæ corporis noſtri partes certorum vinculorum & ligamentorum interventu invicem connectantur; & quæ ſejungi debent, aliarum interpoſitione ſecernantur ac diſterminentur: ſi partes, quæ inter alias mediæ intercedunt, laxentur, vel ligamenta diſrumpantur, aut vulnerentur; partes, quæ antea conjungebantur, diſ-jungi neceſſum eſt, aliaſq; ſimul, quas ſejunctas eſſe decebat, conjungi. Exemplum hujus ultimi morborum in conformatione generis inſigne recenſuit *Cl. Sennert. in lib. 2. inſtitut. medic. part. 2. cap. 13.*

42. Malæ *Figurationis* cauſſas quod attinet; advertendum primò, quod partis alicujus figura vitiari poſſit vel per ſe, vel per accidens. *Per ſe* quidem (ſeu κατὰ περὶ τὸν λόγον, ut loquitur *Galenus, De Cauſſis morborum, cap. 7.*) quum naturalis ac propria ejus figura invertitur; idq; aut in ipſamet conformatione, ſive dum Embryo adhuc eſt in fieri, aut tempore geſtationis in utero materno, aut in ipſo partu, aut poſt partum denique, maxime dum oſſa adhuc mollia ſunt, tenera facileq; flexibilia. Cum in utero *formatur* Embryo, ob errorem virtutis plaſticæ, vel materiæ ſeminalis ineptitudine, vel matris imaginatione fortiori, vel aliqua alia de cauſſa in opere ſuo impeditæ ac interturbatæ. *Geſtationis* tempore; quando gravida mulier propter caſum, percuſſionem, terrorem, & ſimilia, aliquod figuræ vitium membris tenelluli

fœtus

fœtus imprimit. *In ipſo Partu*; dum ob oris uteri anguſtiam, infantis magnitudinem, obſtetricis inſcitiam, membrum aliquod violentius comprimitur & diſtorquetur. *Poſt partum*, ab eis omnibus, quæ vulnerare, contundere, confringere, aut contorquere membra poſſunt; item ab imprudentia & errore Cheirurgorum, qui colliſa contractave oſſa non recte & ad priſtinam figuram compoſuerint. Quo pertinent etiam membri alicujus tum Alogotrophia, tum Atrophia. Per *Alogotrophiam* incurvari oſſa, indeq; corrumpi membrorum figuram; certo certius eſt. Nam ſi oſſa, ex. gra. vertebræ dorſi, ab altero latere plenius alantur, adeoque ſecundum iſtud latus magis excreſcant, quàm ſecundum oppoſitum; neceſſum eſt illa eò ipſo incurvari. Quippe in hoc caſu, eodem modo ſe habet plenior iſtius lateris nutritio ad incurvandum os, quo ſe habet cuneus immiſſus ad incurvandam columnam; excepto tantum, quòd cuneus certis tantum locis lateris columnæ infigatur, plenior vero nutritio lateris oſſis fiat ex æquo ſecundum totam ejus longitudinem. Etenim alimentum intra os aſſumptum, qua parte liberalius admittitur, ea id ſuffarciendo, ad modum cunei columnæ intruſi, in longitudinem auctiorem protendit: qua parte verò parcius, ea id minus protendit; unde neceſſario accidit os incurvari verſus latus, quod pari paſſu cum altero non elongatur. Quæ ratio eſt, cur ſpina dorſi, coſtæ, tibiæ, aliaq; oſſa in Rachitide frequenter à debita ſua figura ſenſim alienantur; ſicuti tum admiranda ingenii ſubtilitate, tum rationibus apodicticis edocuit ornatiſſ. ille vir, *Gliſſonius noſter*,

Digitized by Google

in lib. ſuo de Rachitide. Quinetiam & partes carnoſas propter improportionatam alituram ſua figura ſpoliari poſſe, minime dubitandum eſt. Ita enim non ſolum in Elephantiaſi, ob corrupti & peculiari quadam labe depravati ſucci nutritii luxuriem, nares, labia, atq; aliæ partes adeo craſſeſcunt, ut figura admodum vitietur; ſed in aliis quoq; tumoribus idem contingit. *Atrophia* autem è contra partes nimium extenuat, eoq; nomine deformat. *Per Accidens* verò mutatur Figura, cum ἑτερόῤῥοπον γίνεται τὸ μέρον, in aliam partem vergit membrum, ob nervorum reſolutionem, convulſionem, ſectionem; item ob Phlegmonem, Scirrhum, cicatricem præduram, alioſq; ejuſmodi affectus, qui tendines & nervos ſeſe contrahere facientes, partes vicinas ad ſe trahunt, adeoq; figuram corrumpunt.

Advertendum ſecundo, omnem Figurationem indecoram vel ad Superficiem ſpectare, vel ad Cavitates. Quæ *Superficiem* dehoneſtant, in genere Sex ſunt, viz. (1) Indecens *Aſperitas*, cujus cauſſæ eſſe poſſunt acria quævis, acerba, abſtergentia, vehementer exſiccantia, erodentia; hæc enim omnia manifeſte exaſperant. (2) Incongrua *Levitas*, quam inducere apta nata ſunt humectantia, oblinentia, pinguia, glutinoſa. (3) *Rectitudo* inconcinna, qualem in juſto minus arcuatis & ad lineam rectam inclinantibus coſtis habent pueri nonnulli Rachitide deformes; idq; ob modò ex Gliſſonii mente explicatam Alogotrophiam. Quum enim anterior pars cujuſvis coſtæ mollior ac ſpongioſior ſit, quam ejuſdem poſterior, ut in

Digitized by Google

confractis coſtis patet ad ſenſum; & cum partes oſſium molliores in Rachitide facilius excipiant alimentum & augeantur, quàm partes duriores & ſolidiores, ob rationes firmiſſimas ab eodem *Gliſſonio, cap.* 13. *allatas*: hinc neceſſario conſequitur, anteriores coſtarum partes, quòd molliores ſint, magis produci ſive elongari, quàm poſteriores; atque ita â ſemicirculi figura longius recedere, ſternumq; elevando pectus acuminare. (4) *Curvitas* invenuſta, quali tenentur vatii, quibus foras, & vari, quibus intro crura contorquentur: cujus cauſſa item vel ad inæqualitatem nutritionis, vel ad confractorum oſſium vitioſum coalitum haud immerito referatur. (5) Indecora *Gibboſitas*, ut quum extrorſum luxatæ vertebræ dorſi gibbum efficiunt. Et (6) incommoda *Planities*, quæ exemplificari poteſt in depreſſione cranii, aut naſi, &c.

Cavitates vero (ſive Receptacula ſint, ad aliquid excipiendum continendumq; comparata, ut conceptaculum chyli, veſica Urinaria, veſicula fellis, veſiculæ ſeminales, &c. ſive Meatus, per quos aliquid tranſire debet, ut inteſtina, venæ, arteriæ, nervi, &c.) figura ſua exuuntur bifariam, quando nempe nimis vel dilatantur, vel anguſtantur. *Receptacula* quidem ſupra modum *Dilatantur* ab eis omnibus, quæ ea replent & diſtendunt: *Anguſtantur* vero (ubi iſthuc vitium ab ortu non fuerit) vel ob intus contentam materiam alienam, vel ob alias cauſſas, quas anguſtiam in meatibus procreare jam dicturi ſumus.

Meatus autem *Dilatantur* & *Aperiuntur* trifariam, viz. (1) per Ἀναςόμωσιν, quæ fit â copia, vel

vel qualitate, maxime vero caliditate intus contenti humoris; tum â medicamentis laxantibus, vaſorumq; extremitates aperientibus: (2) Per Διαπήδησιν, quæ fit ab humectantibus & rarefacientibus: (3) Per Διαίρεσιν, quæ fit â cauſſa vel Erodente, ut humoribus, aut medicamentis acribus; vel incidente; vel diſtendente, ut humoribus copioſis ac turgeſcentibus; vel rumpente, quales ſunt motus vehemens, clamor impetuoſus, grave pondus incumbens, aliaq; vaſorum διαβρῶσιν efficientia. *Anguſtantur* vero quinq; modis, qui ſunt (1) Ἐμφράξις, *obſtructio,* quum meatus ab incidente intuſq; hærente materia quaſi infarcti vel clauduntur & abolentur, vel anguſtiores redduntur; quod vitium non modò inconſpicuis in cute foraminulis, ſed & venulis, & arteriolis, & inteſtinis, ductibuſq; omnibus frequens ineſſe ſolet, & quamplurimorum affectuum, maxime chronicorum, cauſſa ſæpe exiſtit. Hujus autem Cauſſas ſupra recenſuimus. (2) Στενοχωρία, *Conſtipatio,* cum aliquid ipſis parietibus meatus adnaſcens, eum vel anguſtiorem reddit, vel plane claudit, qualiter accidit in meatu Urinario â caruncula adnata obſtructo; ſemperq; fit â carnoſa excreſcentia, aut tumore in ipſo meatu genito. (3) Σύμφυσις *Coaleſcentia,* cum poſt male curatum vulnus aut ulcus parietes meatus alicujus ſponte uniuntur ac coaleſcunt, uti nonnunquam fit in vagina uteri poſt partum difficilem coaleſcente; idq; forſan ob nimiam ſanguinis aut lochiorum glutinoſitatem. (4) Θλίψις, *Compreſſio,* quando meatus aliquis â tumore, aliquave alia re foris incumbente, eumq; ſeu gravitate, ſeu co-

 arctatione,

arctatione, ſeu quocunq; alio modo comprimente, anguſtatur; quomodo aſpera arteria & œſophagus coarctantur ex premente angina, & propter inflammationem veſicæ cervix nonnunquam ita comprimitur, ut exitus urinæ præcludatur. (5) *Συνίζησις*, *Subſidentia*, quum parietes meatus vel immoderata humiditate laxati, vel â contento non ſatis diſtenti, in ſe quaſi ſponte concidunt; quemadmodum in Zinifiſi contingit, qua tunicæ oculi Uvea & Cornea, abſumpto effluxove humore Aqueo, quo ad invicem diſtendebantur, ſubſident, interceptumq; ſpatium imminuunt; quod augurium eſt timendi mortem in his, qui febre acuta laborant. Et de Figuræ vitiis quidem, eorumq; Cauſſis tantum.

43. Injuſtæ *Magnitudinis* cauſſas quod attinet; primò commemorandum eſt, morborum in magnitudine duo dari Genera. *Alterum* ſcilicet, quum pars aliqua corporis ſupra convenientem naturæ modum increvit; cujus exempla habemus in linguæ tanta mole, quæ ore comprehendi nequeat, in Hydrocephalo, in cruris, brachii, digitorumq; vaſtitate, inq; Tumoribus omnibus, qui ſunt æquo majores partium extuberantiæ: *Alterum* vero, quum pars aliqua infra debitum naturæ modum ſubſtitit; quod in linguæ, pedis, brachii, aliarumq; partium conciſa atq; minuta mole, in Atrophia & Phthiſi deprehendatur. Deinde ſciendum, magnitudinis *Incrementum* duobus modis fieri; viz. vel ſecundum omnes partis alicujus dimenſiones æqualiter; vel tantum ſecundum aliquor,

quor,

quot, imminutis interim cæteris. *Priori* modo augetur partis magnitudo ab humore ex æquo in omnem ipſius ſubſtantiam diffuſo; ſive is utilis fuerit, ſive inutilis ad alendum. Ex Utilis humoris affluxu appoſitioneque, quum Facultas plaſtica, ſive altrix adeo fortis atq; vegeta eſt, tantamq; ſucci alibilis ubertatem partibus affigit, ut ipſa corporis moles exinde admodum augeatur; quemadmodum iis contingit, quorum corpora carne & pinguedine præter modum craſſeſcunt. Ob Inutilem vero materiam, non ſolum ſi qualitate peccet, & vitioſa ſit, unde varia tuberculorum & ulcerum genera procreari ſolent; ſed & ſi ſola quantitate peccans, tantaq; copia parti incumbens, ut virtus nutritiva totam eam apponere ac aſſimilare minime valeat, adfluit; quæ proinde in ſpatia partium effunditur, eaſq; in tumorem attollit; uti fieri credibile eſt, in Strumis & Scrofulis, quæ materiam ſuam ſeminalem, non â venis aut arteriis quidem, ſed â dulciori benignioriq; nervorum rore mutuari videntur. Ad hunc pariter modum fiunt Ganglia, Melicerides, Steatomata, Atheromata, Sarcoſes, Cancri, aliiq; id genus tumores; quos experimur ſæpius in corporibus noſtris quaſi propria anima vegetativa nutriri & creſcere; dum interea genuinæ partes extenuantur & marceſcunt. Idq; ideo forſan, quia tumores iſti primordia ſua ex depravato ſucco nutritio adepti, ac proinde virtute quadam ſeminali obſcure imprægnati, ad formationem quandam, licet rudem ac imperfectam, ſponte tendunt, nutrimentumq; omne deinceps ad ſe arripiunt, reliquumq; corpus nutritio ſucco (ceu genio ſuo) defraudant; unde *Phagedænis, Lupiſq;* inditum nomen. Adeo (ait *Ariſt. de Genen. Animal.*

Animal. lib.3. cap. 11.) anima plena ſunt omnia. Poſteriori autem modo augetur magnitudo vel â Flatu; ut in Tympaniti & πνευματοκήλη, ſeu hernia ventoſa: vel ab Aquoſo humore, ut in Aſcite, & ὑδροκήλη, ſeu hernia aquoſa: vel â decubitu unius partis in alteram, ut in Enterocele, ubi tumor in ſcroto excitatur ex prolapſu inteſtinorum. Et huc pertinent omnes omnino Tumores, de quorum cauſſis & generatione ſupra egimus. E contra *Imminuitur* magnitudo, ob plaſticæ virtutis debilitatem, & ad alendum neceſſariæ materiæ inopiam; ut in diuturna inedia morbiſq; corpus exſiccantibus videre eſt, ſicut & in venarum lactearum, ductuum chyliferorum, Glandium nutricium, Nervorum, aliarumq; viarum per quas ſuccus nutritius partibus advehi debebat, obſtructionibus ſæpius contingit. Deinde, ob loci anguſtiam, in quo pars augeri debet; quomodo (ut ille Chæreas apud *Terent.* in *Eunucho*) virgines, tametſi bonæ ſunt naturæ, matres reddunt curatura junceas, dum non ſolum cibum deducunt, ſed & vincto pectore graciles efficere ſtudent. Et tandem ſectione, uſtione, putredine, eroſione, refrigeratione.

44. *Numeri* morbus ſimiliter tum in Exuperantia, tum in Defectu conſiſtit. *Exuperantia* quidem eſt vel rei Naturalis, ut ſexti digiti, tertii teſticuli, duplicis dentium ordinis, &c. quorum omnium cauſſa ad materiæ ſeminalis redundantiam, unà cum plaſticæ virtutis robore aut errore, referenda videtur; idq; utrum redundans pars ab ipſo partu adſit, an vero poſtea alicubi ſuccreſcat: vel rei Præternaturalis, cujuſmodi ſunt verrucæ, calli, calculi, vermes,

mes, & ſimilia, quæ ex vitioſæ materiæ copia, nunc in cutim impacta, nunc lapideſcente, aliàs ad animationem ſponte tendente, ortum habent. *Defectus* autem eſt ſolius rei Naturalis, quæ vel ab ortu deeſt, ut quum quis mancus naſcitur, quod accidit ob defectum materiæ ſpermaticæ ad partis generationem neceſſariæ, vel ob plaſticæ virtutis errorem, vel etiam utramq; ob cauſſam: vel poſt ortum detrahitur, idq; vel ſectione, vel uſtione, vel eroſione (ſicut interdum ob humores acres & erodentes, morbo gallico infectis gurguleo decidit,) vel putredine, vel refrigeratione extrema, qua extincto calore â corde influente pars emoritur, & poſtea vel ſponte decidit, vel arte eximenda eſt. Ubi adnotandum, quòd quum pars quædam ab inſtrumento penitus eximitur, ſolius Numeri morbus oriatur, qui in inſtrumenti reſiduo dicitur ineſſe; execto ex. gr. digito, numeri morbus reſidet in manu: at dum non prorſum & radicitus, ſed veluti ex dimidio tantum pars reſecatur; tum numeri, tum magnitudinis morbus exiſtat, idemq; effectus ſub utroq; genere comprehendatur.

45. Poſtremò, *Solutæ Unitatis* cauſſæ licet quamplurimæ ſint, generatim tamen omnes ad quinq; claſſes revocari poſſunt: vel enim ſecant, vel erodunt, vel contundunt, vel tendunt & rumpunt, vel adurunt. Atq; hæ quidem omnium morborum Organicorum cauſſæ reputentur. Quas ideo curſim ac leviter pertranſivimus, quoniam plenior dilucidiorq; earum contemplatio opportunius petenda videtur ex adhuc reſtante altera Pathologiæ parte; quæ *Symptomatis* nempe, ipſorumq; *Cauſſis* particularibus

Digitized by Google

cularibus debetur, quamq; nos propediem (ſi modo nobis vitæ atq; otii tantum fecerit Deus, quæq; in Exercitationibus hiſce conſcripſimus Emunctioribus non diſplicuerint) ad Harvæanam Circulationem, atq; alia Neotericorum inventa anatomica accuratius accommodatam, in lucem emiſſuros, ſanctè ſpondemus.

46. Interim levidenſi huic, quamq; eruditi inſpiciant oculi prorſus indignæ opellæ heic finem & periodum imponimus: perhumaniter exorato prius *Lectore* candido, ne credat nos hæc aut inanis gloriolæ ſtudio, aut tam perficiundi ſpe, quàm deſiderio excitandi doctiorum ingenia ad ulteriorem veri inveſtigationem in *Noſologia* (quæ adhuc manca videatur, & duntaxat inchoata) literis mandaſſe; neve Philoſopho exiſtimet indignum, nonnunquam ad obſcurum rationis & conjecturæ lumen confugere, ubi quæ ſcrutatum it, adeo abſtruſa fuerint & naturæ arcanis involuta, ut nec ſenſuum fide, nec munitione demonſtrationum liceat aliquid certi de eorum cauſſis proximis ſtabilire. Nam,

Multa tegit ſacro involucro Natura; neq; ullis
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia: multa
Admirare modo, nec non venerare; neq; illa
Inquires, quæ ſunt arcanis proxima; namq;
In manibus quæ ſunt, hæc nos vix ſcire putandum.
Eſt procul a nobis adeo præſentia veri.

Et ipſemet *Ariſtoteles* librum ſcripſit, de Mirabilibus auditis: atq; alibi ait; *non ſolum illis agendæ ſunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquieſcet; ſed iis etiam, qui ſuperficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam iſti: habitum namq; noſtrum exercuerunt.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

90

Digitized by Google

Google